




Magni
1564







By Lucillo Maggi

LVCILLI PHILALTHAEI ARTIVM,

MEDICINAEQVE PROFESS. Excellentiss.

Libri tres Epistolarum in adolescentia familiarium nunc primum in lucem Editi.

CVM PRIVILEGIO SENATVS Mediolanensis.



Papiæ Apud Io. Ant. Bissi.

M D LXIIII.




LVCILLVS PHILALTHAEVS Artium, Medicinęq; professor

IOANNI VARRAHONAE supremo, & Excellentiss. Insubrum Cancellario.

S. P. D.





ON fuit unquàm spei, nec consilij in animo mihi, quas ab adolescentia prope literas familiariter conscripsissem, in lucem edere, Cogitabam non

fore æquum, aut forte homini iu ſtum, qui in ipſo iam ætatis flexu & ab hinc annos fere triginta in illo percelebri artium liberaliũ orbe præſertimq́ue in Medicina & Philoſophia priuatim & publice sæpe verſatus, etiam cum mitioribus, & humanioribus literis ludere, prouidebamque animo non eorum inuidia ſolum, qui nomini officerent meo hac de re me reprehenſum iri, uerum etiam hoc negotium parum ponderis apud ludi magiſtros habiturum, in quorum manibus præcipue eſſent authores huius induſtriæ primarii, à quibus ſcribendi exempla peterentur, quandoquidem extant hodie plura,

ad quorum cumulum addere eſt atque ſi immenſo quaſi operi addendum aliquid putaretur, Inanis mehercle opera, & fruſtra ſuſceptum onus, minimeq́ue ei; qui editiōnem in publicum exire procuraret, glorioſum, & minimè legentium plerisque uſus aliquid allaturum, aut præbiturum voluptatis, Hæc igitur, mi excellentiſs. Varrahona me hactenus ſolicitum atque ancipitem reddiderunt, & niſi Martinus Henricus auditor meus, annoq; ſuperiore inſignitus Doctor de mitioribus literis benè meritus euoluens in mea bibliotheca libros grę ce, & latine ſcriptos caſu quodā incidiſſet in harum literarum ſepoſitum volumen ſitu, vdo,

puluere abraſum, & quaſi ab orco reuocaſſet, non ab obliuione id & ſilentio hodie uindicaſſem, & tuo nomine digniſs. frontē inſigniri mandaſſem, Equidē quia a primis, inquam, cunabulis dignitatum tuarum, quibus es iam ornatus omnibus, quæ videlicet togæ vel conferuntur, uel debentur ſemper veri, & iuſti, æquiq; amicus fuiſti, non fallam nunc iſtam amicitiam tuā, verè inſignis amicus meus, doctrinæq; meæ ſtudioſus Martinus Henricus me omnino ab hac editione auerſum ad hanc animauit, & impulit, cum â me pro iure uetuſtæ noſtrę neceſſitudinis petiiſſet, ne has literas perituras interire ſinerem, & arbitraretur cōtra quam mea eſſet

opinio frugiferas, usuiq; & voluptati fore cum doctis, tum his maximè, qui vel cuperent, vel exoptarēt amicos, vel principes, aut egregie eruditos multiplici laudum genere efferre ad ætherem, præterquàm quod etiam aliquot sunt perpolita doctrina, aptisque exemplis bene uiuendi refertę dū modo ęquum, & attentū habeant lectorem, qui siue Arithmeticen, siue Geometriam, siue Astronomiam, siue Dialecticen, Oratoriā Musas, siue Philosophiam, Medicinam. Theologiam colat. facilè ex his cognosceret cuiusmodi laudandæ sint, & adipiscendæ tot artes, & disciplinæ Dijs ab immortalibus dono humano generi datæ, ac me esse memorem horta-

batur eorum illuſtriſs. hominum ad quos ſcripſiſſem, quoniam facile poſſem ſi ex hac luce exceſſiſſent eorum manes mihi gratias relaturos ſperare, ſi vero viuerent hoc officium meum illis iucundum, gratumque fore, quo his gratius forte accidere hoc tempore nihil poteſt, Quotus enim quiſque eſt, vbi ſuum viderit nomen vnis literis, & interdum pluribus præfixum, vel plane contineri, ad quem vel lætitia, vel voluptas non perueniat? Sumus enim nati ipſi quidem ad gloriam, quam adeptam uulgari, & incorruptis rerum geſtarum annalibus, & monimentis eatenus mandari cupimus,

vt nulla unquam posteritatis obscuret obliuio, Quare Martinus mei amantissimus, iuxtaque uir officiosus, & prudens his uerbis meam mutauit uoluntatem, meque coegit, quas in adolescentia ausus sum ad excellentes eius ætatis in doctrina uiros mittere Epistolas, omnino efficere, vt prodirent in manus hominum, Vtinam castigatiores, & sine mendis Calcotypi exire potuissent, Nam horum impressorum opes tenuissimæ sunt, iccirco officina his ieiuna est, qui probè formas cudere, elementaque legere norint. Hinc, si non auspicijs, vt par erat, optimis nunc primum apparebunt in uulgus,


cōfido fore cū hæ maiori cura, luculentioriq; imprimendi opera, ac diligentia in manibus politorum uersabuntur: Vtcunq; tamen de viro cogitabam, cuius virtutes, pręclareque gesta literis, & perpetuæ memoriæ mandari mererentur, ac posteritati exempla essent, Quanquam pro illa, quæ singulatis amicitia quondam tibi cum Ioanne Baptista Schitio ciue Cremonēsi, Doctore eximio, Senatore optimo, patronoq; Insubriæ apud Hispaniarum Regē disertissimo, omnium mihi amicissimo arctissimè intercessit, te vnum ex omnibus delegissem, ad quem potissimum hoc volumen mitteretur, tamē ingenuè fatear me heroicis uirtutibus tuis, imi-

tandis moribus, incredibili humanitate, ſingulari prudentia, immenſa prope benignitate adductū ad recolenda, & repetēda merito in hac prima operis mei parte ornamenta, ſummaq; prudentiæ tuæ inditia, quæ ex Hiſpania hic reliqui in tanto Italiæ odio, ſi diu in hoc cœlo cum ſumma Senatus, & Inſubriæ gentis gratia, & perpetua beneuolentia felicē degere vitam deſiderant, diligenter admirari, & profectò imitari debent, Magnum eſt inſeruire tēpori, & locis, ſed diuinum Cæſari, & huic ſimul populo placuiſſe propter temporum ſæpe conditiones, Idq; ſemper tibi obtigit propter ſummam modeſtiā tuā, vixque credibilem, Ex Hiſpania

cum profectus in Italiam venisses (crediderim bonis auspiciis) non defuit comes virtuti tuæ, ingenioque peracri fortuna, & Doctor vtriusque iuris summa cum laude, continuo Prætor, munus nempe authot existimationis tuę apud omnes, mox ex Magistratu Quæstorum, indè Senator optimus cum fauore & gratia Principum factus omnium, quam personam sic gesisti, ut breui opinionē uiceris omnium, & expectationē superaris, Iccirco ab obitu Schitij in eius locum suffectus apud Regem hinc in Hispaniam obeūdi muneris tecōtulisti causa, obiisti & Regia quidem cum gratia, & cum Insubrum laude, insigne indicium, quòd nunc te geris su-

premum Cancellarium omnium consenſu , & admiratione , Quid ſupereſt quod homini togato queat in hac prouincia amplius ad decus , & maieſtatem accedere ? Nihil omnino præter id , quod suscepi faciendum , Tametſi id susceperim potius mea erga te beneuolentia , & obſeruantia , quàm mea tenuis , & perexigua eloquentiæ facultas præſtare poſſit , Ignoſce iccirco uiribus ingenij mei , & emetire animo beneuoli erga te mei propenſionem , quo in te amando nuſquam gentium eſt , qui ſuperiorem habeat , Et ſi in ſcribendo longo mihi interuallo antecederet, atq; eloquentior eſſet.

Doleo non posse id illustrius; & facundius efficere, quod tamen potui impēdere huic virtutum, & dignitatum tuarum monimento, totum tradidi, Vale, Ticino. Intercalari die. M D LXIIII.



LVCILLVS PHILALTHAEVS

Artium, Medicinęq; professor.

EGNATIO HVMANIORVM literarum Veneto publice profitenti.





N ALDI Officina, ubi aderat magister imprimendi Græce, Latineq; bene doctus, & de re literaria optime meritus, uerbum de tuis commentarijs feceras, quæ rerum quãdam illustrium historiam breuiter continerent, hæc item propediem te curaturum receperas, ut bonis auspicijs in aleam Iudiciorum, inque eruditorum manus prodirent, ecce cum in meas manus inciderint encomia laborum, & uigiliarum tuarum. Dilucide,

breui-

breuiterq; multa, ac omnia ferè uera, in quo inest propria historiographi laus. Nam rarus, ne a primis historiarum, rerumq; gestarum scriptoribus initium repetam huius prouinciæ extitit author, qui commenta non ueris permiscuerit. Tu uerò sic incidisti in ære tanquam sempiterna gestorum præclarissimorum monumenta, ut nihil deesse operi uideatur. Edidisti porro uel ingenij tui miraculum, tuæque perpolitæ manus mysterium, uel opus nunquàm moriturum, itaq; si de authoribus decerneretur, & meum esset statuere, si nonprimas tibi, omnino secundas sedes dicarem, laudesq; tribuerem. Etenim non expectabam (ut ingenuè loquar) quantum in fronte instituti tui promiseras, non quod de tua doctrina, deq; arte dicendi dubitassem. sed illud ueniebat in mentem, raro de rebus multis breuiter, & dilucidè scribi posse, qua de re tu me longè instructior exempla non à philosophis modò, uerumetiam ab orationibus sumes. Quanto enim plura uel Plalato in dialogis, uel Aristotiles in omni, & quadripartita philosophia, de disserendi ratione, de moribus, de natura, de rebus diuinis uterq; orationis angustia premere studuit, tanto densiores suis scriptis tenebras offudit. Hinc fluxit illa in treis classes interpretum multitudo, nempe Græcorum, Latinorum, Arabum, Quinetiam Demosthenes ubi perstrinxit multa paucis, uisus est obscurior. Vicisti ob luculentum

lentum scribendi genus ſanè permultos, & ſuperaſti opinionem ciuium tuorum ferè omnium, præſertim cum nemo non ſciat, idque ratum non habeat, breuitati obſcuritatem uidelicet iunctam eſſe. Laus iccircò hæc prima, & summa tuis commentarijs magnoperè debetur, cui & hæc acceſſio facta eſt, nihil propè mentiri, omnia uerè ſcribi in uolumē benè magnum collata. His ergo uirtutibus, quamq; antea tibi debueram me deuinxiſti mirificè, & quoad uixero semper ero memor tui, & ſtudioſiſſimus nominis præclari, quod meritò adeptus es uiuens, ꝙ item poſteritati relinques ad memoriam literarum tuarum æternam. Aequum enim eſt omnium in omni ætate iudicio eum haberi immortalitate digniſſimum, qui Illuſtres hac maximè donare omni ſtudio, & diligentia concupiuit, & tantoperè quæſiuit. Hæc de tuis commentarijs ſcribens prodere auſi, nec falli exiſtimo, niſi mea me ætas fallit, cum adhuc ferè adoleſcens eò uenerim audaciæ, ut de tuis in ſenectute ſcriptis plena Iudicij, conferta diſciplinis iudicium afferre minimè ueritus ſim. Verum ſi id auſi, dediſti tu cauſam audendi, qui me ſæpe cohortatus es paterno fermè amore ad optimarum artium ſtudia, inter quæ illud de diſſerendi ratione me admodum ad id faciendum animauit, & impulit. Hæc enim diſciplina præterquam quod omnem methodum ueri inueniendi ſuppeditat ſtudioſis, etiam

dijudicandi uerum à falso tradit facultatem. Id tu forte à puero nosti, ego ab ineunte adolescentia, & utcunque meus erga te amor fecit me aliquantò audaciorem. Quem amabo, nisi te amen, & colam? Recordor, & facilè cum tu tuis patritijs Venetis, qui te istuc inuisendi causa uenerant quantum de me pollicebaris, & ferè præsagiebas me fore unum in re literaria primarium. Itaq; magnam spem excitasti ingenij mei, & benè non mihi solum sæpe de meipso, sed alijs etiam itidem sperandum dixisti, & confirmasti quicunq; incidisset sermo. Qua de mente tua deq; istiusmodi officio te uehementer amo, teq; obseruabo ad supremum semper spiritum usq; diligenter, nec recusarem, si qua opus esset pro te uitam cum sanguine effundere. Quod de commentarijs Græcis, quæ iampridem cœpi latine facere, & tibi copiam feci quorundam benè sentis, habeo gratias, Intereà in hoc exercitij genere aliquod tempus consumam tuo hortatu lubentius, ne ab illo etiam Tulij præcepto uidear aberrasse, quando & ille quidem in adolescentiæ ætate Græcis latina semper coniunxit, dum tamen in hac exercitatione uersor, planè quæ nunc mihi cum istis philosophis intercedit studiorum necessitudo, nonnihil uel impedit, uel detrahit. Fœde admodum loquuntur, & sæpè solæcismis, aut barbarismis utuntur. Sunt qui prætereà nesciant suũ nominare principem, quem Aristotilem nominant,

cum

tum Aristotelem appellare deberent. Ob id barbaries illa, seu inepta, & uitiata locutio quodã mihi modo uidetur facessere negotiũ, in quo quingẽta ferè notaui linguæ perpolitæ & candoris uitia, de quibus fortè habuisti eum, qui me prior te fecerit certiorẽ. Verum amicorum hortatu non desistendũ, modo res, non uerba audiantur, & ponderentur. Dabitur Dijs uolentibus tantum ocij aliquando, ut quam con didicerim philosophiam, meo modo perpoliam. Tum licebit uitare scopulos impolitorum, scribereq; multò accurratius, ut tu, tuiq; similes, si non probabitis, saltem non improbetis formam scribendi meam. Non enim ignoro quanti sit oneris res abstrusas, mysteriaq; naturæ latinè, & numerosè scribere obseruans magnoperè locos in scriptis Ciceronis eloquentissimi uiri ad unguem, cum eos ex intima philosophia exprimere maximè experitur, præsertim in his libris, quos de philosophia conscripsit. Nam & si latinè, plerunq; tamen illum diuinum orationis numerum non sequitur. Existimarim difficultate rerum premi, atq; impediri. Quantum certè hæc mea adhuc non iudicij ætas coniectura assequi potest, sic sentit, suffragioq; poneret. An tibi idem appareat nescio. Iccircò si tuo commodo, & pro ea, quæ tua est humanitas hac de re tuam ad me sententiam perferri curabis, id etiam addidero ad cumulum tuorum erga me meritorum, quoniam puto tibi, tuiq; simi-

lium iudicio standum, ac tuo testimonio utendum, cũ ipse planè sis, qui omnem ætatem a puero usque ad senectutem in hoc literarum genere summa cũ laude triuisti, & publicè locum profitendi cum authoritate in urbe Veneta, & ea quidem urbe tenuisti, quæ cunctarum urbium miraculo, & mirabili situ princeps uideri solet. Quarè cum otij fuerit, aut genio aliquid temporis impertiueris, si quod cupio, de hoc scripseris, gratissimum feceris. De Bembo illud ad te mitto tibi sciendum, Patauium uenisse recreandi animi causa, dictumq; illum mihi non longe ab urbe consedisse, isticque esse, uerum id ne sit, uidero quamprimum, experiarq; si aliquid historiarum de re Veneta, quas ille contexere cœpit, legere potero. Si interim aliquid à me tibi pergratum fieri potest, iube. Vale. M D X X V I I. tertiodecimo Kalen. Martij. Patauio.

LVCIL-

LVCILL. PHILALTH.
artium Medicineq; professor.

GASPARO CONTARENO patritio Veneto. Philosopho, Theologoq; præstantissimo. Venetias.

* * *

CVM existimarem magni mea interesse, si te de omni mea studiorum ratione certiorẽ, facerẽ, ut quæ tibi probantur præsertim studio, & diligentia persequerer, non destiti, quin id per literas meas statim fecerim, quibus pro tua singulari humanitate respondens cœpta probasti maximè, ac doctores, quos mihi delegi mirum in modum collaudasti. Itaque totos dies contero in utraq; facultate & oratoria, & differendi, modo nou repugnet Minerua, tametsi Zimaram hominem Calabrum bene doctum Barbare sine lautitia sermonis, & omni forma perpolita dicendi in philosophia de natura quotidie audio, in cuius ore sæpissime Auerhoës, perraro uero Aristoteles omnis philosophiæ facile princeps. Qua de re me cœpit admiratio mecũ interdum ani-

mo cogitantem quid ille cupiat tot progressus habere in commentarijs illius, & non in contextu authoris, quasi pluris riuulum facere, quam fontem uideatur? Ego malim me dici, & haberi Aristtoelicum, quam Auerhoïdis professorem, nisi hodie sic ferant tempora, hominumq; ingenia, ut pudeat principem sequi, Verum his corruptis moribus una est mihi medela uel cum Lazaro Bon Amico, uel cum Leonico consuetudo, quos uiros tibi ob famam notos maximè puto, quando & tu quidem doctissimorum hominum quendam domi habes elenchum, uel album præsertim illustrium, Cum his profecto resarcio tempus, si absumo, quamuis spero hæc gustasse mihi maximo ad iumento fore uel ad internoscendum quid sit melius in hac pilosophia sequi, uel ad confutandum hoc scriptionis genus. Occalluit sic in animis plebeæ philosophorum multitudinis uulgatior ista fama Auerhoïdis, ut ad næuum istum tollendum non conferat farina (illud Plinij remedium) in acceto decocta, in quo interprete ad id ætatis quantum potui depræhendere, nihil sanè optimè, nisi Alexandri Aphrodisæi doctrinam redoleat, cætera uero cum Auempace, & reliquis eius farinæ authoribus disputata acuunt ingenium, atque interdum neniæ uidentur ne dicam ob nomen authoris, & famam ineptiæ meræ, & meræ nugæ, de quibus polliceor me tantisper curam habiturum, quoad refellere potero.

Nunc

Nunc cum Græcis me oblecto libentius, hisq; do operam in præcipiendo authoris sensu, ad quem qui accedat propius, non apparet ullus his expeditior, & melior. Vtinam Aphrodisæi interpretis in hoc genere primarij extarent omnes commentarij, quos et tu lima iudicij tui consuesti mihi laudare diligenter, sicut idem in tuis scriptis facis magnopere, idq; caue putes dici ad plausum, Cum enim de industria adhibita etiam cura expenderem interpretum primæ, secundæ, tertiæq; classis lucubrationes, nullum sanè offendi, qui primas, & potiores partes in hoc munere sustineat, nisi Alexander. Itaque tibi merito assentior uere dicenti, & profitenti idipsum perpetua lectione à me perspectum, & cognitum. Attamen obijcies me in hac ætate non posse quidpiam exacte dijudicare, sed fore cum id potero probabilius, quod certe non ibo infitias unquam. Proinde abs te peto, ut quæcunque ad te audacius forte, quam mihi liceat scribo, & scribam, tua singulari prudentia longo rerum usu parta corrigas, & si cui, tibi uel maximè uni innata uidetur teste senatu, urbis, populiq; uoce. Nam inter tria anteactæ uitæ tuæ ornamenta, incredibilem morum probitatem, doctrinam singularem, prudentiam admirabilem, hæc præcipue una te Senatui Veneto, tuæ Reipub. plurimum commendauit, & breui reddidit charissimum, amantissimum, præstantissimum, Reliqua uero duo tanquam con-

dimenta

dimenta prudentiæ fecere teipsum unum, quem Rei pub. summi colerent, & uenerarentur, ac magni con silij hominem haberent, Quocirca non defuere primi honores, tibi, ac summi, non iudices, nou corona, non concio attenta, non magistratus, non gradus, nõ fama sic, ut quotiescunq; de clarissimo, & beatissimo uiro incidisset nobis cogitatio, te hunc ipsum asseuerare non diffideremus. Ego illud mirari soleo, quemadmodum tot, tãtisq; urbis occupationibus districtus in Theologia, in studijs nõ leuissimarum artium tam erudite, tam solicite uerseris. Quoties emetior tempus, & horas numero publicarum, & priuatarum actionum, uix queo ocij inuenire aliquid insumendũ in his perarduis sanè doctrinis, uix unde item te explices, & in libertatem uendices, Sileo audientiam domi, colloquia amicorum, negotia domestica, opera deniq; familiaria, ad quæ nisi tua diuina mens (Contarene dæcus patriæ, dæcus ætatis nostræ) simul incumbere perdiligenter potest, præsertim cum hæc omnia fere inter se disiuncta, admodumq; diuersa uideantur. Vbi nam est certus nexus negociorum, facile persici hæc solent, At uero ubi magna intercedit uarietas, & distinctio rerum, haud facile omnibus quis implicari potest, Quæ omnia cum per sese magna sint, tamen multo illud mirabilius occurrit, quod hæc fortunatæ, & beate peragis cum ipsa communi hominum gratia, & tamen e tuis manibus excidet

ille

ille cõmentarius de elementis, uel etiam excidit eiusmodi, cui nec plus doctrinæ ea de materia, nec maior explicatio adiungi potest. Editus enim est cum summa diligentia, eleganterq;, atq;, ut uno me expediã uerbo sic, ut nihil à lectore desiderari queat, Etenim cum esset adhuc in manu librarij nondum impressus à calcotypis, nec sub prælo poneretur bonam eius partem legi tuo permissu, e qua didici multa subtiliter, & enucleate magnopere. Spero in rem fore maximè philosophiæ peripateticæ studiosis. Siquidem non erit ullus tam iacentis, demissiq; animi lector, quem ad se legendum opus non excitet. Me quidem qui uix primoribus labris hactenus physiologiam degustaui, planè impulit ad perdiscenda reliqua. Quare si possem decernere sapienter, cum mihi per ætatẽ breueq; adhuc in ista philosophia tempus consumptũ non liceat, planè sentirem non apparuisse etiam in uulgus ea de re opus accurratius editum, quod à te conditum, & perscriptum lætor admodum non solũ quod ab amico, & patrono meo charissimo proficiscitur, uerumetiam quia à uiro doctissimo compositum rem literariam augebit. Id sanè confido fore non tã subtilitate disserendi, quam copia rerum, de quibus acute agitur, & disputatur. Sed uiderint naturales philosophi, & medici. His enim diebus memor eius partis, quam raptim, & pene per transennam legi, idipsum cum illo Galeni de elementis conferre statui,

Multa quidem hic medicorum optimus retulit ad me dendi rationem, ſed a te lector Medicus accipiet quæcunq; ab arte uelut fundamenta deſiderantur. Verum de uſu hæc hactenus, Cœterum Ariſtophanes Poeta, quem noſti me recreat, meq; delectat a prandio. Nihil feſtiuius eccleſiaſte, Multa à comœdia bene agendi exempla petuntur, ſed à Plauto noſtro copia, à Terentio ſuauitas non deſideratur, à quibus ad Pindarũ cum choris, inde ad Euripidem, mox in ueſperis ad philoſophiã animũ applico, Mane uero ad dialeticam, ad Homerum, ad hiſtoriam me refero. Hæ ſunt delitiæ hortuli mei, quibus inuoluo animum, & feſtis ſane diebus cũ oratore aut Demoſth. aut Iſocrate quibus præfero Ciceron. An tibi arrideat hic ordo authorũ legendus, quæſo ſcribas, & tuo ſtare Iudicio, ſi aliud fuerit, non recuſabo, quando tu quidem me prior hanc ſemitam ſcriptorũ peregraſti tibi iamtritã, mihi uero inuſitatam. De Gymnaſio iſto nihil noui. Inuiſi Petrum Bem. Totus erat abditus in ſua bibliotheca, Me accepit hilare, & amice. eo tamen pacto diſceſit, ut me reuerſum Patauium non pigeret ad eum ſcribere interdum, quoniã ſe cuiq; meæ epiſtole reſponſurum promiſit, niſi aliquid ualde impediuerit, quod ſi fecero, puto mihi id maxime profuturum. Vale. & quod facis me ama. Patauio. MDXXVII. pridie Kalen. Martij.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicinæq; professor.

IOANNI BAPTISTAE Opizoni Ticinensi Physico. Venetias.

COLLAVDASTI mihi rheon, quod barbarum uocant eiusmodi, sicut docuisti sumendum. Ter quaterq; deuoraui drachmã, nihil tamen adhuc usui, nisi uitium sit emptæ massæ quam tamen signis datis à te mihi cognoscendi probatum curaui diligenter emere, Mane item degluti-re soleo aluo deiecta, sed uereor, ne hæc me scabies cum pruritu e Flatuoso impetu, de quo tecum coram, ac per literas sæpe cõquæstus sum, ducat originem, ppa quod cum scandit illa aura inaudita (ut opinor) medicis, subitq; uentriculũ, exagitat cibum tempore præcipue digerendi. Quare huic puto prouidendum, modo tibi uideatur. Nam flatus inueterauit, huic data est opa accurrate siue inedia, siue purgationib. siue sectionibus, siue remedijs intrinsecus, siue extrĩsecus admotis physici tẽtarint ualetudini meæ prospic.

Ego

Ego quia te alterum existimo Aesculapium tam dirum morbum ab infantia ductum tuæ fidei, meamq; credidi salutem. Nutrix olim mea me certis temporibus, præsertim in synodo, & quadrante Lunæ uehementer exagitari, & decidere asserebat. Sorores confirmabant idipsum. Dubito ne ab utero parentis hanc traxerim molestiam, aut e nutricis lacte, quod etiam me uehementer angit, & cogit desperare de salute, Nunc uero, ne ignores quid me infestet, non subeo casum, attamen me ita quatit interdum, atque urget, ut uix me sustentem, idq; magis æquinoctiorum mensibus, & quibusdam Lunæ schematibus. Vnum autem incredibile, uerissimum tamen per omne corpus auram penetrare sic momento; ut repente e digito pedis euolet ad oculum, ad aures, ad quamlibet partem, ac statim demeat ad ima pedum. Plus me agit in uentre, ubi etiam multo maior mole uidetur. Ecquid hoc flatu mirabilius, cum ad loci se captum effingat? Nam exiguo in loco exiguus, & in maiore maior percipitur. Si habes dogma de hoc molestiæ genere in Hippocratis, aut alterius scriptoris libris perscriptũ, quæso significes. Quamq; liberalibus studijs me totum dare decreui, non eo tamen consilio, ut medendi officinæ operam nauarem, sed uideor cogi, quo me redimam, si potero à tam graui noxa corporis, Interim desidero uel officium tuum, uel humanitatem, ut quoniam omnem

meam

meā spem in te posui, me omnibus remedijs adiuues. Est enim cur tibi fidendum si quidem euoluisti in Medicina omnes Græcos, & Latinos authores diligenter, si iccirco palmam fers, & primas habes inter reliquos medicos hodie unus, iam hæc tibi debentur. Quare & cura huius incredibilis morbi est tibi propria. Nisi me tu hoc liberes, ad quem confugiam nescio. Spero .n. si reuoluere aliquot scripta uolueris, & adhibere diligentiam, mihi, ut cupio certè, melius fore. Cæterum ad te perferenda misi eiusmodi munuscula, si placuisse intellexero, perficiam, ut ad te accurrant alia huiusmodii. si uero ingrata erunt, quia opinor tibi gustum non seruire, faciam, ut melius degustes. Ea fert aui mei uilla in Campo Nucerio, ne quidem septem miliaribus à Patauio distans. Postremo me ames uelim, & de salute mea ualde, & semper tibi debebo. Nam nisi respondeas in amore à quibus prouocere, non uidebere qui reuera es, uir plane incredibilis humanitatis & singularis iuditij præcipuè de re Medica Andreas Asulanus, qui de te in officina typographorum amicissime loquebatur, author extitit meæ erga te obseruantiæ. Hic enim imprimendi officinæ magister de studijs Medicinæ optime meritus tuam doctrinam, tuumq; iuditium iam perspectum, & cognitum laudibus effert ad cœlum. Admiratur excelleutem uirtutem tuam, & diuinā medendi scieniiam colit. per te sperat cum omnia

Galeni

Galeni commentaria græca primum in lucem uenerint, deinde latina fere cum suo orationis cultu, cum barbare fere hactenus omnia a scriptoribus explicata sint, non quia solus tantum oneris suscepturus sis, Admodum enim arduum homini id occupatissimo, sed quod socios habes eiusdem consilij, qui pro sua parte prouinciam hanc sunt aggressuri, & facturi omnino, ut Medendi ratio latine loquatur, & scribat redacta ad meritissimum nitorem, & elegantiã, quod Dij immortales faciant, per ualde cupio, iccirco tibi opto tres illas Nestoris ætates, & salutem ad benefitium mortalium. Es tu, quem natura uitæ, lucisq; huins usura donare deberet. Vale.

M D XXVII, quarto Idus Aprilium.
Patauio.

LVCILLVS

LVCILL. PHILALTH. artium Medicineq; professor.

EGNATIO PVBLICO professori Veneto. Venetias.

* * *

QVOD epistolam tuam doctam, & elegantem perlectam conscindi iubes, id feci inuitissimus, nisiq, exemplum à te domi incolume seruatum scripsisses, non paruissem. Quamobrē uero id iubeas, plane ignoro, nec quæram, nisi id significabis tu sponte. Perlegi porro quæ omnia mihi fuere charissima. Equidem uere possum dicere, posteaquam mea me sors ab incunabulis patre orbauit te mihi eius fuisse loco, quì me omnibus tuis uerbis, & scriptis hortaris, & commonefacis, quinimo calcaribus incitas ad omne studiorum genus. Nosti (credo) desidiam meam, & ignauiam, nisi aculeo calcarium tuorum prouocerer, periculum est, ne alteri incitanti admodum renitar. Tibi meam omnem fidē adhibeo. Hac de causa præclare uideo agi, quod stimulas, & studiorum meorum rationem habes, quod

& si in eam partem accipio, ut a te id officij pro tua benignitate putem proficisci, quod de me augurari, aut diuinare cœpisti, interdum sic ipse mihi assentior, meque gratificor, ut credam abs te cerni aliquid in animo meo, quod nec sentio, nec cogitare queo. Verum cum ipse hunc mihi in modum arrideo, non conquiesco ueritus, ne amoris ardore de me tantum animo concipias, quantum ego non agnosco. Ob id tua te existimo opinione deceptum iri. An (mi Egnati) nescis omnia in his ætatibus placere hominibus, in quibus si quid elucet ingenij, quamuis perexiguum, spei plurimum promittit? An te latet quibus casibus larium uis subiecta sit? Quanta item uicissitudo rerum? Nihil nostri ob id maiores certi de se, nec ulla de re asseuerare ausi sunt, ut de hoc etiam uox uulgi hæc uera uideatur, præter supremum fatum nil certi. Quæ, ne plura interea scribantur in ea epistolæ parte addidisti præuidens ad quam facile, et breui metam studiorum meorum cursus uenturus sit non inficiar unquam. existimo enim aliquam animi partem diuinam esse, præsertim tui multis disciplinarum ornamentis præditi, quæ uim rerum futurarum præsentiat, tametsi tota hæc tua uirtus coniecturalis a me iudicetur ducta a certis igniculis animi tui desiderio pene flagrantis, percupientisq; me posse in his humaniorum literarum studijs primum proficere, deinde maiora capessere. Veruntamen illud

negare

negare non possum me desiderio ardere bonarum literarum, sed tu fuisti ardoris author, qui pectus, & cor sic inflammasti meum, ut nihil aliud dies, nóctesq; cogitem, quam de modo, & forma studendi, dum etiã aliquid ex græcis conuerto neq; istuc literarum genus, aut potius exercitium frigere sino. Vereor autem in hoc summo desiderio, ne mihi accidat, quod fame uel siti impulsi faciunt, qui quam primum cupiditatem explere possunt quibuscunq; esculentis, uel poculentis delicatiora, suauioraq; paruipendunt, ita id mihi usu uenturum metuo, ne dum percupio breui omnia gustare, omnia sapere, omnia uorare plus sumam, quam digerere possim. Ergo adhibenda est certa ratio cupiendi, qua tantum uis ingenij capiat, quãtum queat concoquere, cum præsertim soleam esse imbecillis stomachi, & pusilli animi. Quare si me amas ut abs te certo scio amari, fac mihi modum recte studendi, quem græci methodum nominauerunt. Quod deinde non agnoscis in te laudando quidpiam, nisi meam erga te beneuolentiam, plane inficior. Nec te amo, nec te obseruo, nec te amasse͂, neq; obseruasse͂ antea et diu, nisi in te eluxisset qdpiã dignũ obseruãtia, dignũ amorib. Quamq̃ inter homines natura quosdã amicitiarũ amores conciliauit, et inter proximos charitatem Xp̃s Dei filius præpotentis, hic tamen est sane alterius generis cũ summa rei admiratione, ob quam quisquis amatur. Quo fit, ut tuam recogno-

scam modestiam, quæ meas de te moderetur laudes, cũ tamen de hac tua moderatione nihil tibi debeam, siquidem ne adhuc quidem ipse pro merito laudare didici, nec si didicissem æquare possũ tua merita laudes. Lucent enim quasi in summis syderum domicilijs doctrinæ tuæ, uirtutesq; admirabiles, de quibus omnes prædicant, quas condere, aut occultare æque potes, atq; nox serena sydera. Nõ negauerim sumã esse uirtutẽ modestiam, seq; cognoscere sapientiam. Hæc facile tibi do, sed illud miror, quod nimiũ demittis modestiam, quæ cum in quadam mediocritate consistat, ut est uirtutum omnium fere conditio, utq; memini me legisse in libris de moribus, nimis a te deprimitur. Pariter iccirco seruanda est modestia, atq; ueritas. Quod si in tua epist. redoleret mediocritas quædam cum ueritate coniuncta, forte subodoratus essem aliquod ius modestiæ tuæ, sed uide quam ingenue loquar. Non enim pendam tua libra aliquid, & si non dubito, quin teipsum cognoscas, tamen mihi nunquam ignoscas uelim, si te ubicunq; gentium uehementer laudauero. Nisi te quidem, quem ergo? Veruntamen perplures consueuere uti hac modestia summi merito, & sũmo iure nostræ ætatis laudabiles, Aldus, Sadoletus, Bembus, Nauagerius, Lazarus Bon Amicus, Fracastorius, & qui huic ætati succrescere uidentur. Hi uitandæ arrogantiæ hunc locum communẽ usurpant, agnoscere uidelicet laudã-

tium

tium humanitatẽ, qui & si nunq̃ displicuit, tamẽ est admodum in usu. Quapp si non admittis laudari tuarum ornamenta uirtutum, nec ueritatem ipsam, nec modestiam in tua epistola uideo. De Bembi aduentu te docui superioribus literis breuiter. Conueni hominem paterna in uilla fundi Patauini. Vt audiuit istuc me uenisse, statim ille prodijt ad amplexus, duobusq́;, tribus'ue spatijs factis, ac uerbo habito de causa aduentus mei consedimus in conspectu ambo, cum præterea de multis cum græce, tum latine inter nos sermo haberetur, tandem ad historiam sua palæstra conscribendam uenimus, de qua dolẽdum sibi aiebat, quod cautum decemuirum sibi decreto fuit, ne uerbũ quidem ille extra rem elabi sineret, Nihil adhuc cæptum asserebat, prope diem tamen se bonis auspicijs opus aggressurum. Reliquum salutato homine diligẽter discessi, meumq; iter ingressus mecum animo cogitabam quid ex ore, sensuq; illius animi elicuissem. Probatos sibi dicebat Liuij, Salustij, Cæsaris commentarios historiarũ, e qua probatione conieci unum esse illi imitandum, Itaq; uidero quẽ sequi maluerit. Prætori Patauiensi nuper designato tuo nomine salutem dixi. Tu te tibi, & nobis conserua Diu. Vale. Patauio. M D X X V I I. Idibus April.

LVCILL. PHILALTH. Artium, Medicineq; professor.

VICTORI FAVSTO GRAECArum literarum publico profess. Venetias.

***
***

DE TVA Thucydidis præssi, obscuriq; historiographi, deq; Aristophanis Comœdiarum publica interpretatione Aloysius meorum nepotum præceptor, & magister summa cum tui laude ad me scripsit. Te biduo audiuit istinc ad nos reuersurus, Sed tamen interea quid sentiret de tua doctrina, expedire non distulit. Est homo eius ingenij, atq; ita, ut quid, & quantum sentit, libere, ingenueq; loquatur, & scribat non interim me ditatus, an ad me noui, aut incogniti quidpiam exararit. Nunc posteaquàm ille mihi suppeditauit argumentum scribendi, quia diu tu nullum mihi dedisti, in meas manus incidit historia Thucydidis commentarijs impressa, de quibus expecto tuũ sane iudicium. Quærerem in illis non minus interprètem obscuri-

tatis

tatis, quam in authore certam lucem. Nimiumq; concisa prætereo sæpe. Sed a te expecto quid sentias, quippe qui unus ætatis nostræ in utraque pedestri, & soluta oratione cum græcarum, tum latinarum orbem peragrasti ita sane, ut non necesse sit mihi, atque Homero quærere uirum, qui multa norit, et uiderit, Tu quidē unus pro mille uel optimus arbiter, uel doctissimus iudex. Iccirco me delectat in tuo conquiescere iudicio. Dedi operam Egnatio, ut suscipiat meos nepotes pro sua humanitate non erudiendos, sed docendos. Nam opinor suo a magistro sic eruditos, ut mihi spes sit eorum habilitatis ad maiora. Et quoniam eorum magister non nihil græce audire cupit rudimentis hactenus instructior, & fore tui auditorem optat, fac quæso, ut eum tractes atque in te spem posuit. Comes erit nepotum, quos etiam habebis tuarum doctissimarum uocum auscultatores, non eos tanquàm, qui admodum in græcis proficere cupiant, sed qui cum magistro assideant, nisi iudicaueris hos ad eam rem idoneos, tametsi parens eorum optimus unum medendi officinæ consecrarit, & alterum discendis legibus dicarit. Verum si tibi apti uidebuntur, hortabor illum, adhuc biennium ut permittat in hoc literarum genere consumere, teque id faciam iudice, & eo libentius, quo tuum certo scio uelle probari iuditiū, de quo me igitur feceris certiorē. Quoad mea

studia attinet, Philopomum in physicis Aristotelis interpretem græcum, quem iandiu nosti hactenus fere totum latine conuerti. Ad te primas paginas afferri curabo, ut de meo labore, lucubrationibusq; in philosophia te consulens sciam quid queam polliceri. Nec cum otij est, et me admodum delectat legere aliquid, illud tempus perire sino, ꝙ libenter tero in orationibus Demosthenis. Cœpi experiri Olynthiacas latine facere, ad quas me refero quasi ad hortum recreandi causa. Et .n. tota ista dialectica, & philosophia de natura omnem hominem, totumq; ingeniū sibi arripiunt, a quibus nisi interdum diuerterem ad humaniores literas, iam omni spiritu consumptus essem. In his meæ delitiæ, in his hortus Adonidis. Hinc capio uoluptatem mirificam. Huc fessus me refero, ubi & requiem sentio mirabiliter. Non certe queo scribere quantæ uoluptati sint mihi hæ literæ uere mitiores, uere humaniores. Quoties. ꝙ quotidie facio me a perreconditis philosophiæ mysterijs separo, & his literis adiungo animum, genius in corde exhilarari mihi uidetur, et ipse pene gaudio exilire, ꝙ unde ueniat, plane ignoro. Nosti tu forte, Ego uel consuetudini a puero, uel ipsi diuino literarum generi tribuerem. Iccirco me ad hæc otia recipio, quasi ad quosdam ludos uoluptatis, in quibus (ni fallor) nepotes etiam excebit Egnatius, ut solet semper egregie. Ob id maxime cuperē illum semper aliquid

Marci Tullij publice docere, quòd, ut semper audiui, & audio, nihil est adolescentulis melius, quam ea assuescere lectione, habereq; semper in manibus ali quod eius oratoris uolumen, Quamq̃ ille in omni au thore, & Musis copiosus est, mirificusq; earum inter pres, tamen optarem eum nõ dimittere unq̃ aliquid Ciceronianæ eloquẽtiæ, sed ad eam impellere urbis Venetæ iuuentutem, cui non audeo hoc meum scri- bere desiderium, ne in animum inducat suum me illi uelle normam docendi præscribere. Ac de Egnatio hactenus. Reliquum de tuis rebus cum potes, & cum uacat ad me aliquid te exarare non pigeat. Tibi dudum compertum quàm soleam exosculari li- teras tuas, & quam te amem, teq; semper fecerim plurimi. Et mihi etiam persuadeo tuas occupationes de quinqueremi cum tuo Thucydide magnas esse, un de fortasse promere licuit exemplum, attamen uete rem amicitiam nostram literis tuis excitare, & tue- ri debes, quod totum erit mihi iucundissimum. Siquid est, q̃ ipse Patauij possum, totum tibi offero. Hiero- nymum Ferrarium patritium Venetum bene do- ctum, si obuium tibi se dederit meo nomine salutes uelim. Patauio. M D X X V I I quarto Idus Sextilium.

LVCILLVS

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicinæq; professor.

EGNATIO GRAECE, ET LAtine doctissimo.



IN SVO discessu nouissima instante die Francisca soror mea charissima, lectissimaq; fœmina integerrimæ castitatis sui erga me amoris reliquit monimenta, liberos uidelicet duos inter se uno uel intercedente anno dispares egregiæ indolis, optimæq; educationis, quæ moriens præhensa dextra mea per hanc obsecrauit, ut relictos parenti suo, nihilominus qui sine liberis essem eosdem meos tanquam susciperem. Hæc dicens spiritum exhalauit in pace, Itaque illi creuere ad istam usq; primam adolescentiam apprime in mitioribus literis eruditi, aut quantum ad tuas doctissimas uoces excipiendas in publica professione uidentur mihi profecisse, ad te iussu meo uenturi sunt, tuasq; manus exosculaturi, teq; ex me plurima salute impertituri. Hanc iccirco pubescentem

ætatem

ætatem habilem ad otia literarum humanitati tuæ sic etiam, atque etiam cõmendem necesse est, ut nihil unquã mihi tui, tuarumq; uirtutum studiosissimo gratius, aut maius efficere possis, quam si tua (ut soles) paterna charitate eos amplecteris, & sæpe hortabere ad cursum gloriæ, quam studijs præcipue maximarum scientiarum parare homines solent. Spero, & confido tibi morem eos gesturos, sicut iam uideo obsequi paratos, Dabunt tibi (ut credo) ansam amandi adolescentum conditionem, nisi sese mihi amabiles præstitissent, non tantopere mihi probatos ad te scriberem. Micant eorum sane ingenui mores, & breui tua opera adhibita illustrabuntur summis disciplinis. Vt ergo illa fuit parentum cura, quo micarent, sic tua erit pietas, qua illucescãt his artibus, quæ liberis hominibus dignæ sunt. Non enim his defuit hactenus præclara educatio, optimisq; pedagogis adhibitis mirifica institutio, Nunc porro ad te confugiunt nõ uelut ad publicum politiorum literarum magistrum, doctoremq; excellentiss. sed tanquã ad mecænatem bene institutæ iuuuentutis, qui tuo munere in illis iacias fundamenta breui euadendi in magnos, & excellentes uiros, & à quo condiscant (ut pleriq; hodie fecerunt primarij) currere cursum laudis. Hos tuæ personæ, & incredibili benignitati tuæ tam studiose non cõmendassem, si in illa essemus Rep. Platonis, ubi nimirum quicunque filij habentur

bentur cõmunes quo ad pietatem, amorem, aut christianam charitatem, non autem quoad prolem. Iam pridem hæc monstra tuum, & meum non modo animorum diuortia, simultatesq; creauerunt, sed etiam ius omne ciuile, & criminum condiderunt. Verum tu es fere pater urbis, paterq; omnium in docendo, Iccirco plurimum nominis, & famæ apud diuersas gentes tibi comparasti, & adhuc retines, retenturus item apud posteros diu, quo tibi in hac luce mortaliũ, aut potius curriculo moriendi nihil potuit accidere (crede mihi) felicius, neq; Deo, opt. max. charius. Quid? Quod tu minimè ignoras, & mihi in medio eruditorum cætu sæpe dixisti, nihil ad numen accedit propius, quam panspermia seminare uirtutum, beneq; altas radices disciplinarum colere, & custodire, ut edant fructus temporibus suis. Socratis dialogum cum Theage in libris Platonis, quem græce legere nuper placuit a te perlectum puto sæpissime, cuius si nunc non est tibi in promptu, & expedita re cordatio non tædeat in manus resumere. Magnam enim ex repetita illius lectione percipies uoluptatẽ. Recognosces enim quantum studij, & pietatis sit ad hibendum his, uelut stirpibus, ut pullulent, germinẽt, fructus deniq; edant uberrimos, Erunt hæ plantæ tuis satæ industrijs, tuo excultæ studio, hæ palmæ aliquando tua cura, & diligentia concrescent ad laudẽ tuorum præclare factorum. Nemo erit, qui tibi nõ

bene

bene optarit, non bene dixerit. Ego uero non desitiam quin de te, tuisq; meritis ubiq; prædicem, & fatear me tibi nõ modo deuinctum sed etiam sic debiturum, ut nullo unq̃ seculo debitum obliuiscar non eorum more, qui nunq̃ suis creditoribus persoluunt, sed eorũ potius modo, qui ubi æs soluerint fænore adhuc officij, uel benefitiorum, uel meritorum ultro se obligant. At quando erit tibi digne persolutum, aut gratiæ actæ satis? si enim recensere incepero tua ab eo die promerita, quo sane die tecum inij graciã, uereor, ne immensum debendi spatiũ emetiri audeã frustra. Congregasti in me innumerabilia merita, quibus totidem gratias agere, aut habere nescio, Verũ, ne tuis doctis aures his meis uerbis obstrepẽ, neq; tibi tædio sim, qui tamen meas longiores adhuc literas cupis, nepotes qualescunq; meos tuæ fidei, tuæq; humanitati incredibili committo, & trado, atq; scias uelim (mi Egnati) te in primis tuam operã apud eos bene positurum, deinceps quicquid in illos beneficij cõtuleris in me collatum fore, atq; meum me existimaturum. Patauio. MDXXVII. pridie Idus Aug.

LVCIL-

LVCIL. PHILALTH. Artium, Medicineq; professor.

ALOYSIO IVSTINOPOLITANO nepotum magistro doctiss. & opt.

FASCICVLVS literarum serius perlatus est, quam putaram. Istius negligentiæ culpam non habeo in quem conijciam, cum te alacrem, & expeditum ad omne negotiorum genus semper obseruarim. Eadem hora redditæ fuerunt suis quæq;. Magni momenti est plerunq; reddidisse literas opportune, quod quia scis, non curabo te facere doctiorem. Recte factum, & prudenter actum ẽ, nec minus expectabam expertus diligentiam tuam, & singularem solicitudinem. Proinde est cur hæc tibi, & maiora credam. tametsi neq; hæc minora uideantur, ut est in comœdia Terentij suauissimi Poetæ, quam Epidicazomenon uocant, Cuius tu fidem in pecunia perspexeris, uerere ei uerba credere. Sat est quantum accepisti, & scripsisti Chirographo fuisse firmatum. Vtere summa perinde, ac esses herus

rus

rus familiæ, & in te, tuaq; cura totũ onus consisteret. Antea magister duntaxat, nunc etiam pater ceu, & omnino columen iuuentutis es. De domicilio prudenter. Id potius deliberandum fuit, quam apud sororem matris meæ uos habitare, quæ quanto ditior, tanto magis querula suæ sortis est. Hanc tamen inuisetis, & meo illi nomine salutem dicere non negligetis. Id præcipue nepotibus mando. Amo nihilominus eam cum sua consuetudine conquærendi. Quæ narras de Egnatio, deq; Fausto, non mihi recentia, nec noua omnino, Id unum te moneo, ut omni arte, & industria cum his ineas gratiam. Mando Ioanni Mariæ, & Iacobo, si me amãt, ne diem quidem audiendi illum prætereant. Hanc tibi etiam (mi Aloysi) designo prouinciam, & trado, quam in domo nepotum paterna recte administrasti, nunc absens fac, ut scis, qui semper nobis fuisti uir in quam optimus, & charissimus. Spondeo tibi non defore unquã amicitiam nostram, nosq; facturos, ut sis semper beneuolentiæ nostræ memor. Vicetiam misi ære meo nuncium, quo quamprimum alij fratres procurent ad uos omnem suppellectilem quæ uestro sit, & possit esse commodo. Confide porro te intra biduum, aut pauloplus tuorum librorum arcam recepturum. Pater eorum est in uilla propediem rediturus, qui nisi iuuenes probe negotium confecerint, non deerit, sed puta hos meo audito nũcio

non

non cunctari, quin expediant. Lætor uos fore pulchre inquilinos, conduxisseq; domum decenti præcio. Nec minoris, nec deteriorem laudauissem conductã. Vitanda pro uiribus societas, nisi cum paribus, & cum quibus possit nostris intercedere similitudo morum, & coniunctio studiorum. Iampridem calluisti sensum, & animum parentis, ac quid ipse uelim adolescentulis persuasum, Quamq̃ nostra exhortatione non indiges, quia multo melius ea despicis, q̃ ipsi innuere sciamus, tamen nostra interest nostro fungi officio. Vocis quidem paternæ energiam audisti, & cor emensus es, atq; ardorem, nunc meas literas puto a te magni fieri, non solum quia tuas semper uirtutes feci plurimi, sed etiam quod te unum delegi, collaudaui, probaui maxime. Disperẽã, nisi tuã cõditionẽ semper suspexerim, & de te mihi multa promiserim. Hactenus bene oĩa domi, posthac foris, proculq; a conspectu spero multo meliora, Argiui procul a patria illustriores rebus præclaræ gestis facti sunt. Sophi, seu philosophi cum aliquid nominis, & famæ, simulq; doctrinæ appetere cæperunt, a patria abierunt, & quocunq; iere, ibidem gloriæ studuerunt. Absens iccirco memor nostrum esto, qui sumus, qui tibi profuimus, ac prodesse uolumus, memor amoris, & charitatis erga te nostræ, memor fidei nostræ, quando tuæ quidem cõmittimus thesauros nostros, tuæq; gẽmas, & summam rei, memor tuæ iam

perspectæ

perspectæ, & iudicatæ uirtutis, in qua demum omnis spes, & salus sita est, nostra, Tuum iccirco est te præclare gerere, atque ita, ut quam nobis ostendisti personam, eam sustineas, & collaudes. Multum enim interest nunc qualem operam adolescentibus dederis ad tuendam, & conseruandam opinionem, quam de te concepimus olim, & quam hodie tenemus, nec ullus mortalium de animo nostro delere põt, nisi tu ipse deleas. Postremo non tædeat facere hæc iubere uelim, Occcidente Sole omnes domi ut sint, ostiaque concludantur, atque ut cænent, prandeant certis, & definitis temporibus. Nam horum tenuisse rationem iuuerit. Et quando plura dici non uideo necesse, semper nobis, & honori tuo consules. De omnibus, quibus opus fuerit ad me scripseris. Vale & diu. Patauio. M D XXVII. duodecimo Kalen. Septemb.

LVCILL. PHILALTH. Artium, Medicineq; professor.

VICTORI FAVSTO GRAECArum literarum, & latinarum doctiss.

* *
*

SI, saltem in me essent mediocria, quæ tu fore speras omnia summa, Plane Dijs immortalibus & Musis gratias infinite deberem, Verum certo scio me his debere gratias multis quidẽ de causis, tamen nõ expecto illa summa omnia. Tuus erga me amor tibi imponit, & uereor, ne nimium. Compesce beneuolentiæ in me tuæ ardorem. Contine excellentis ingenij tui uim ad omnia, qua soles tui similes effingere. hæcq; primũ, & deinde tua de me spes erit mihi ualde probata. Quod porro de me asseris, puto uel monstri, uel ostenti simile. Non enim miles sum leuis armaturæ, Caue item putes te a me laudatum, ut laudes. Non.n.mutuo scabunt. Quæ tu de ingenioli mei laudibus cogitasti nunc, resciscas uelim hæc uti ad hominem marmoreũ te scripsisse, qui nõ exaudit hoc laudum genus, nisi me hisce calcaribus urgeas

ad metam, aut ultra pergere, quod si habes in animo tu quidem amice urges, sed tamen nescis quid me retardet a cursu. Sui cuiq; manes. Contraxi ab utero nonnihil morbi incredibile. Quantum detrahat uoluntati, & ardori studendi meo hæc infesta affectio, tecum animo cogitare potes. Huic autem incommodo medetur quædam ingenij mei docilitas. Hæc lenit demulcet animum, quoties infestat ægritudo, & me abducit a bibliotheca librorum, Nam sæpe compensat, & resarcit temporis iacturam, Itaq; fit, ut non queas libere me adigere calcaribus, aut quoties est in animo tibi, Vt inscitia est, si aduersum stimulum calces, ita dura cẽsetur prouincia premẽdi quo, aut quà itio effici non potest, Quare quam in partem encomia tua accipiam, me latet, nisi de more fecisti. Hunc tibi ne probem, incertum est ob multitudinem assentatorum, quamq̃ nõ consueueris adulari ulli gentiũ unquam, neq; is sim, cui hæc studia cures adhibere. Hactenus ioci gratia, posthac serio. Magister nepotum meorum significauit mihi nuper epist. quàm benigne eos susceperis, & quid sis pollicitus. Quicquid feceris, in me residebit. Totum ego ex te agnoscam, tibiq; uni ipse referam acceptum. Sic familiam nostrã tibi promereberis, ut nulla unq̃ promeritorum tuorum cum ætas obscurare, tũ antiquare poterit. Nõ enim hoc beneficium in solo sterili, & arido serere ui debere, sed in aruis quæ soleant uberes fructus red-

dere, & quotãnis colonos lætos efficere. Nam magni refert præsciſſe, quẽ agrum excolere oporteat, quoſq; prouentus, et redditus accipere. Adoleſcẽtes parẽtis optimi his educati moribus, & præditi uirtutibus ſunt, quibus boni, & morigerati eſſe ſolent. In primis uerecundi, modeſti, ad pietatẽ, ad cultũ Dei diligenter inſtructi. Deinde maiores reuereri, honorare didicerunt nõ inſulſi, nõ inſtabiles, non mendaces, non ludis aſſueti, non contentioſi, non fugaces, nõ ſtolidi, & tandẽ his ornamentis ſepti, quibus magis diceres nihil deeſſe ad eã ætatẽ informandam, nec orationes Iſocratis ad Dæmonicũ, uel Nicoclẽ quempiã meliorem, & probiorẽ facerent. Hiſce de cauſis eos tibi maxime cõmendaui, & tuæ tradidi fidei, quoniã ſi uidebuntur idonei ad perdiſcenda græca, hæc te iudice perdiſcere pergãt. Rudimenta norunt, & quantum docuit magiſter, qui ſe totum tibi dicauit, & de te ſæpe mecum multa honorifice, cum eſſet Patauij loquebatur. Te duce ſperat breui Græce linguæ myſteria conſequi, Nihil hoc illi ſtudio amabilius, & iocundius. Ecquid plura? Aliâs abunde ſcripſi, Nunc reſtat quicquid ſtudio, diligentia, authoritate, ſolicitudine, amicis, opibus poſſum affirmare tuum eſſe Vale. Patauio. M D XXVII. Non. Septemb.

LVCIL. PHILALTH. Artium, Medicinęq́; professor.

HIERONYMO FERRARIO græce, latineq́; eruditiss. patritio. Veneto.



DE Persij Poetæ carmine, deq; tua in illo eruditione nihil habeo ad te scribere, nisi cũ uoles experiri, an illa perrecondita sensa mihi sint notissima, tibi paratum esse congressum, nec meam Dialecticen, seu facultatem differendi in utrãque partem reformides uelim. Hoc pugno. hac dextra non utar, sed mero Musarum patrocinio confidam, enitarque tecum pugnare. Vincam in hoc certandi genere, Sed ubi corona, ubi palma? Verum quia nunc aliquot gradus in Repub. dignitatis, & honoris merito, & non sine mea magna lætitia conscendisti, non contendes amplius mecũ de Persio, deq; illius furore recõdito, et abstruso, iã tua te uirtus, tua doctrina, tua prudentia ad maiora uocãt, Verũtamẽ seponẽda erit hora, et dicãda inter tot occupationes tuo diuino ingenio, et tuis græce

Latineq; literis, ne summis negotijs distractæ omnino conticescant, aut sensim pereant, quandoquidem tu potes cum ista tua prima dignitatis luce, cum hoc cursu ad præmiũ uirtutum tuarum, & ad gloriam his authoribus admouere manũ, qui de multiplici Rep. & quisq; de sua optime scripserunt, Hunc.n.in modum non modo doctior, uerum etiam prudentior fies in omni obeundo, & administrando magistratu. Quocirca Venetæ ditionis historiam cum illa rerum græcarum, & Romanarum in manibus sumere aliquando iuuerit. Hæc ad te amice scripsi timens, ne alia instituta a te uiuendi ratione in hoc nuper tibi munere designato sinas pessũm iri literarum studium, in quibus sudasti a puero diligenter, & profecisti mirabiliter. Vide porro quàm te amem, quam sim tuarũ uirtutum studiosus, et ueteris inter nos a puero amicitiæ cultor, & obseruator magnopere, Quapp nuncium expecto uel uerbo, uel scripto de hoc tuo magistratu de quo ad me Egnatius scripsit cum tui quidem magna laude, seq; præfert cupidissimum, & amantiss. tui, cui ego multum tribuo, fidemq; adhibeo magnã, propterea quod sincere agit, & loquitur. Cor illi consentit cum uerbo contra eorum dogma, quos impatibilitatis authores scis. Non possum non bene de constantia uiri sentire, deq; illius in me officijs. De te sperat oĩa ualde, omniaq; fore cum summo in hac Rep. munere. Vox illius etiam ualere plurimum solet ad

ineun-

ineundam, & conciliandam tibi gratiam cum senioribus senatus, supremoq; ordine. Itaq; hominis authoritatem non aspernabere, maxime si aues gloriam gestorum tuorum. Hic non modo scriptor, uerum ẽt Venetæ urbis ubiq; solet de laudibus prædicare literatorum. Quãquàm, de hoc nunc me tibi non petenti testem præbui, Cum illo de te in sermonem incidi sæpe aliàs, semper sane honorifice, & cum summa tuorum promeritorum spe loquebatur. Meo nempe consilio recte feceris, si illius amicitiæ habueris rationẽ. Prodesse potest, & nunquam obesse, non quia ignorem non deesse tibi affinium, amicorum, propinquorũ fauores, & opes, sed potius quo utaris summo tui ingenij, tuæ doctrinæ, & meritorum præcone, quo sane officio uidi functum hunc ipsum corã serenissimo, excellentissimoq; Duce uestro, dum de nonnullis patritijs haberet uerbum. Sed non plura prudenti. Expecto responsum auidissime, ut mihi ex uerbis tuis liceat tibi congratulari. Vale. Patauio. M D XXXV. Kalen. April.

LVCILL. PHILALTH. Artium, Medicineq; professor.

EGNATIO MITIORVM literarum professori publico.

*
* *

TE domi conuenisse affinem meum gaudeo, teq; primum meo nomine salutasse, & deinde liberis suis fecisse uerbum ualde lætor. Nihil enim gratius facere potuit mihi. Nec fuit necesse illud Homeri tibi in Odisæa prima Quis? & unde uir, quæ patria, quis tibi parens, Cum enim meo nomine te plurima salute impertiuit, nosti quis hominum esset, undeq;, & cuius esset urbis, ac ferme parentum. Si non habes eius promissis fidem, me sponsorem accipe. Vir ingenuus quidem, nescit fallere. Quinimo fallitur, cum suis Vicetinis fidem adiungit, Ciuis eius est urbis modestissimus, & suapte natura amabilis, Omne eius studium non modo suo iure sancitum, sed promulgatum etiam domi, relatumq; ad liberorum commodum scias uelim. Si quis

illum

illum sibi promereri cupit, bene de illis sentiat, & dicat. Paterno semper parcendum amori. Sic natura constituit, sic non homini solum, uerumetiam belluis ingenerauit ardorem suæ tuendæ, & ornandæ sobolis diligenter. Veruntamen œcumenicus homo est cum ad liberalitatem, & ad frugem, tum ad Parsimoniam natus. Ambidexter, qua tum dexteritate sibi plurimos deuincit, de cuius ingenio, & natura aliâs, non multis tamen lucubrationibus, nunc quia existimo omne uerbum in tractandis liberis consumpsisse, & tu id mihi paucis significas, de quibus quoniam item ad te aliquot literas exaraui, nihil aliud restat, quam tua putes oficia in eos, ac si in me omnia contulisses, Nam nihilo hæc minus recipio. Erunt & tibi illi tanq; obsides, uel prædes meritorum tuorum, nec non meæ erga te beneuolentiæ tot signa, quæ quoties intueberis, spectra meo rum debitorum ante oculos habebis. Reliquum Hieronymum Ferrariũ, patritiũ Venetũ politiorum literarum, & bonarum disciplinarum, tuiq; studiosissimum gaudeo dignitatem sibi decretam consecutum. Confido fore omnino tuum. Nihil silentio prætermisi de amore, de officijs, de spe, de laudibus, de tua propensa uoluntate in illũ honestandũ, Credo tibi arctius deuinctum esse, tibiq; obsequentiorem fore. Magnum est enim lucrari amicum, sed continere diuinum, hunc plane seruandum tibi dico, &

si

si non tibi, quia fortasse non eges, saltem tuis amicis, quibus queas cum uis, & cum opus, & cum bene illius opera prodesse omnibus. Tu enim incredibilem urbis Venetæ beneuolentiam tibi parasti amicorum potestate. Hæc conseruanda est, & amplificanda. Sed quid sus Mineruam, & ego hominem usus, & experientiæ plenum? Hominem senem prudentem cohortari iuuenem pudeat, qui & si mathematicus esse potest apud Aristotelem Stagiritem in libris de moribus, attamen ob imperitiam usus & periculi prudentiam non potest attingere. Merito Telemachum uaghum illum uaghantis Vlissi filiũ ut accessit ad Nestorem pudebat hunc senem interrogare de obitu, & statu patris sui. Minerua tamen illa Cæsia, ac Pallas iussit illi audendum, & fidendum. Sic meus in te amor tantum mihi fidutiæ præstat, & largitur audaciæ, ut patrem uidear familiariter alloqui, uel ad eum scribere peramanter, Itaq; boni consulas uelim, si audax nimium uideor. Quam enim semel erga te cæpi beneuolentiam, hac non destiti te prosequi, & quem amare soleo, huic bene omnia euenire opto perpetuo. His sane impulsus audeo hortari forte audentior factus, quam par sit. Non enim me clam est, quin quoscogitas tuos fore amicos, allicere hos scias. Non desunt tibi facunda uerba, non retia, non blandæ musæ. non mille modi, & mille artes. Quapropter interdum metuo,

ne

ne me sic inescauerit, ut meì immemor audeamplus satis, sed tamen ille in epistola prodidit, Licet nunc audacia pro sapientia uti, Atq; illud antiquissimum pene elogium poetarum. Audaces fortuna iuuat, timidosq; repellit, ac sexcenta similia tu recondita habes, quæ promis ex animo in docendo diuinitus, & cum summo auditorum stupore, atq; ita interdum, ut cuncti fateātur tuam excellentem memoriam, & facundiam singularem, de quà monimenta sunt relinquenda ad laudem sempiternam, De munusculo affinis mei abs te peto, ut id tanquàm symbolum amoris erga te utriusq; nostrū accipias. Casu Prætor noster uir singularis, & bene doctus de uia ad me deflexit iterrogans quid de te audiuissem. Respondi semper hactenus bene, atq; ita tibi cupio perpetuo fore. Vale. Patauio. M D X X V I I. Idibus Octob.

LVCIL-

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicinæq; professor.

EGNATIO PVBLICO HVMAniorum literarum profess.



PERLECTIS literis tuis nusquam effigiem fallis amoris erga me tui, quam dudum incisam intra cordis recondita gero semper præ oculis cum sempiterna tuorum erga me officiorum, beneuolentiæ, humanitatis, pietatis memoria, atque ita, ut in ea parte animi diuina memorandi usquequaque non appareant nisi tuarum uirtutũ spectra mirabilium. Totum porro tui cum omnibus salibus, & conditionibus præclarissimis altius in corde incisum habeo monimentum. Quod scribis mihi iam exploratum esse, me abste amari debere, bene tu quidem scribis, sed addo illud etiam uere ex animo, & toto spiritu amari mihi compertum iam-

pridem

pridem fuisse, & nunc euidentissimum cœlo, mari, terræ, de quo nec Dij, nec homines, nec feræ amplius dubitant, Iccirco quia confiteor id notissimum, uellem æque tibi perspicuum a me coli maxime, et obseruari omnibus modis, ut simul scias æque reciprocari amorem, & modum amandi, cum summum fuerit fundamentum uirtus ipsa præpotens ad alliciendos homines sapientes in sui admirationem Superioribus diebus incidi in uerbum Aristotelis usitatissimum scholæ istiusmodi, si quicquid ob aliud efficitur, multoplus ob illud effici credibile, cui si adiunxeris amas me ob uirtutem, ergo magis ipsam, profecto argumentum dialectice habebis recte conclusiuu, & causam sempiternam perpetui amoris erga te mei, quinetiam æterni, modo sensus sit mortuis, & nobis cognitio rerum, uti arbitror, & arbitrandum sentio. Quod te recipis in rem nepotum meorum diligenter facturum, id tuæ ex humanitatis officio, aut potius pietatis totum agnosco, ac debebo plurimum semper, Quinetiam beasti me dum præsentis in illis perspicacissimum ingenij acumen ad omnes bonas artes capescendas, modo posthac incumbere ad eas uoluerint, quibus etiam fortunā aspirare addis. Sic etiam mihi persuasi, eandemq; concepi de illis opinionem, & de tua ꝑsensione scipsi ad optimū eorum parentem, qui tibi hac de re ait se debere maxime,

Nam

Nam hominem hoc uerbo tibi deuinxisti, & obligasti perpetuo, quod & mihi gratissimum fuit. Cæterum quæ de Philopono græco Aristotelis interprete latine feci, prima tamen in parte Fausto misi, ut elicerem illius iudicium. Conuerti sane stilo mediocri, ne schola philosophorum candido, & perpolito non admodum assueta ægre ferret, cum quid potius dicatur, quam quibns uerbis, & quo numero, quo lepore, aut lenocinio (ut aiũt) sermonis exprimatur plane desideret. Deinde illud etiam me mouit ad usum mediocrem scribendi, quia nulla accessio repentina efficitur. Desuescant philosophi Impolito sermone gradatim oportet. Hermolaus Barbarus ciuis Venetus sua tempestate (ut scis) græce doctissimus, quia candidissimum Themistium Plautino stilo, & uerbo uertit, non admodum probatur huic sęculo Philosophorum. Quare de industria opus Philoponi primus suscepi uertendum mediocricer. Aristoteles atticus scriptor, & copiosus iubet usitate loquendum sæpe, utque plurimi faciunt, ob id soleo Marci Tullij probare uerbum, & collaudare illud primo de finibus libro proditum, si Philosophus habet eloquentiam, laudat, si non habet, non admodum exigit, propterea quod ille res, non uerba pendit accuratissime. Hæc ad te scribi uolui ueritus, ne succenseas mihi aliquando, qui

non

non politius uerterim. Adeo es tu emunctæ naris, tametsi senex, ut nihil non ornati, non candidi, non recepti putes admittendum, aut condonandum, cum tamen sit semper aliquid consuetudini, & ætati concedendum. De re mea, de qua coram, & uerbis tecum ægebam non promendum aliquid, nec petendum, Nihil molire, quoad Sebastiani Foschareni in hac Republica Philosophi primarij mentem norim. Quid ad filios si pater commeruit, quamuis nec illum uideo commeruisse pœnam, quæ tanquàm contagio proficiscatur in posteros. Sed caue uerbum facias tu ante quidem, quam in illius patricij optimi animum introspexero. Si enim genitor militem uel in fide, uel saltem in spe continere potuisset Germani tum non deuenissent in Italiam. Sed utinam opibus ualuisset ad retinendum coactum militem. Non enim facile eam quingentorum cohortem dilapsam Venetus intellexisset. Verum quid infans pene natus huius culpæ pœnam subire debet, si culpa, si defectio est, cum iure nulla uideatur, & si orbatus suis rebus, omnique fundo priuatus sit miser, cum occuparint omnia præter matris dotem? Sed de his uberius in conspectu, Interea curabo, an aliquorum partim animum queam mihi deuincire, partim nonnullos præhensare,

hensare, ut rei piæ satisfaciam. Te scio certo non defuturun, atque omnen molem amicorum admoturum spero, ꝙ ut facias cum necesse erit, tibi opto, & præcor salutem, diuque uiuere. Vale. Patauio. M D XXVII. Non. circiter Nouemb.

LVCILL. PHILALTH. artium Medicineq; professor.

PETRO BEMBO GRAECE, Latineq; doctiss.

* * *

INCREDIBILE *est (Petre Bembe) quãta me molestia ille tuus, quem a prandio statim ad me misisti quàm tristissimus de urbe capta, de præda, despolijs de sacrilegijs, de stupris uirginum nuncius affecit. Qui casus non Venetæ Reip. modo, uerumetiam cunctæ Italiæ lugendus, & deplorandus est non sine summo, et memorabili gentis nostræ, nominisq;, & imperij dedecore. Nunc certe læsa*

tè læſa eſt Dei maieſtas, & Italiæ fama maxime. Et Dei opt. max. quidem, cuius Clemens VII ſummus, & opt. Pontifex uicem gerit in orbe terrarum, attamen in cuſtodia detinetur non ſine ludibrio muneris, & poteſtatis, qua ad numen nulla propius accedit in terris, & qua nihil uel beatius, uel ſanctius inter mortales noſtri maiores eſſe uoluerunt. Etenim cum ille generis redemptor humani, domitorq; mortis æternæ Chriſtus, & Dei filius, ac Deus ipſe exemplum cæleſtis eorum eccleſiæ, qui ſydera incolunt, æuoq; ſempiterno fruuntur in hac luce relinquere ſtatuiſſet ante ſuo quam fungeretur officio ſuper petram, hoc eſt ſuper fidem ſuam fundauit eccleſiam, cui Petrum præfecit cum incredibili potentia ligandi, & ſoluendi, quam qui non agnoſcit, & Chriſti uerba cum Petro, plane neſciat oportet, ſed de hac diuina poteſtate aliâs longior oratio, nunc deflere eſt cum omni inſigni Chriſtiani orbis uiro hanc calamitatem, hunc accerbum caſum, qui ſimul diuina, & humana permiſcuit, & nullam Religionis rationem habuit, qui celites contempſit, & pietatem uiolauit, dum Dei uicarium crudeles, nefarijq; homines aſpernantur, & tanquàm hoſtem incluſum, inque fere uinculis cuſtodiunt, quem uit uperant, quem probris laceſſunt, quem minitantur, quem cogunt pecunia grandi redimi, dum tamen ſpoliant ſacra, dum res pontificias lacerant, dũ bona diripiunt, dum patrimo

nium Christi dissipant. Quæ omnia ulcisci uindex iniuriarum Deus non despiciet, nec interea tamen summa Christiani Imperij potestas cunctari, aut perferre tantam rei diuinæ ignominiam, tot opprobria, tot uituperia inferri, quinimo accurrere, cõuolareq; deberet in hanc sceleratorum manum, in hanc impiorum insolentiam, & crudelitatem inauditam, omninoq; Imperatore, Principibus, Regibus, intolerabilem, Quis a pietate tam auersus, tam christiani nõminis hostis, qui non cernat hæc facinora, non christiano, sed Afro, & Turca milite indigna, quando his quidem sua sint summo honori sacra, nobis uero quia non ementito, sed uero cultu nitimur, & assueuimus, minoris sacrosancta ducimus, & æstimamus? Quod si plurimi fierent a nobis, ac quemadmodum decet colerentur, omnes nationes magnis se itineribus ad subsidium urbis, ad libertatem summi Pontificis, collegij Cardinalium, populiq; Romani conferre deberent. Roma cunctis communis patria communiter defendenda, ubi oraculum Christi primarium, ubi sedes apostolica, ubi domicilium excellens, & pantheon rerum diuinarum, quam illi excellentiam non Quirinus consulto deorum, sed Petrus, Paulusq; utriq; uoluntatis Dei ministri dederunt, ac Constantinus Imperator diuino adductus miraculo cessit, & Religioni, summoq; Pontifici tradidit. Vnde ad id æui usq; hæc celsitudo, hæc altissima Christiani

stiani

ſtiani Imperij ſedes propagauit, & permanſit, sed hodie ab Hiſpano milite prædæ cupidiſſimo diripitur ab Heluetio uaſtatur, à Germano ſuſpectæ Religionis delubra, templa, aræ, edes deorum immortaliũ, inſignia, monimenta incendũtur, aut expilantur, ab Italo ſtupra committuntur. Itaq; nihil tutum, nihil inuiolatum, nihil non commaculatum cum ſummis matronarum, & lectiſſimarum uirginum lachrimis, fletu, ſuſpirijs, gemitu cernitur, & auditur, Nunc uim pro iure, arma pro legibus, libidinem pro continentia, licentiam pro æquitate, inſolentiam pro modeſtia, & omnino crimen, & uitium pro innocentia, & probitate nephandi hoſtes exercẽt. In conſpectu patrum, matrumq; familiarum filias ſtuprant, eas ipſas cogunt ſubire quicquid collibuit, Vim inferunt impotentibus uiri, cælibatum uitiant, caſtitatem inquinant, filios a complexu parentum diuellunt, nullus pudicitiæ locus, nulla coniugatis reuerentia, omnia, ut fert libido, omnia in tumultu, in furore, in uino, in alea, in ſcorto, omnia rapina, cæde, cruore, luctu complentur, omnia ſine Deo præ oculis, & ſine metu, quaſi ſine iuſto uindice gerũtur, nec tamẽ eos, qui prouidere poſſunt, & ſi Chriſtum colunt, profecto debent tantæ cladis miſeret, nec inſignis calamitatis accerbitatem perpendunt, ſed ſummum paſtorem a ſua ſede abduci permittunt, O facimus memorabile. Et tu quid de his ſentis? Quid in tua hiſto-

rià asseuerabis? Pessime quidem nonnulli improuidè Clementis VII consilio tantum Italiæ detrimentum & nihil socijs belli, ac confœderatis ascribunt. Nã si fœderi stetissent, q̃ sanctè iurarunt, nec uiolassent pacta, ac societatem ubiq; Italiæ, & Galliæ promulgatam, & concelebrdtam, nec amplis. Clemens, & diuinus Pontifex eo uenisset calamitatis hoc tempore, ut exemplo his ipse primus esse premeretur, qui fœderibus nimium confidunt. Quãquam de restituẽda ciuitate, quam cæperat bellum contra Hispanum hostẽ gerens sermo cum ministris Hispaniarũ Regis haberetur, nõ iccirco tamen a fœdere defecit, & quoties defecisset, occasio a socijs data uidebatur, cũ nec suppetias mitterent, nec auxilia darent uni bellum gerenti, Ac snmma belli in suum caput redigi cernebatur, cum iam primus in acie experiri hostium fortunam cæperit, & fœliciter progrederetur dum socij expeditionem morarentur, & manum cogere different, & coacta cunctarentur ad prouocandum hostem, quasi aperte bellum geri inter Romana, & Parthenopæa confinia duntaxat cuperent, nec interim apud insubres ulla in parte hostem prælijs lacesserent, cum tamen diuersis in locis appetendus esset idq; uideretur esse unum fœderis Caput, & Consilij Iudicium. Quare a Rege Gallico, & a milite Veneto pene deserebatur, Hic enim exercitus, quem Respub. imperauit, aut legi mandauit uti in præsidijs esset nusq̃ hostem permanentem congredi tentauit,

quod summi pontificis suspicionem quotidie augebat magis, militem Venetum nolle cum hostibus pugnare sed duntaxat cogitare de salute imperij sui, & deseruanda militia, ne amissa urgeretur pro ditione sua demum bellare diu. Memor enim aduersæ fortunæ, atq; incredibilis iacturæ, quam ægre tulit Iulij secundi pontificis technis, & immerito, Ob id cauebat studiose, ne in similem fluctuum tempestatem, & magna ammitendæ potentiæ pericula deueniret. Solus ob hæc Clemens VII fœderis onus, imparq; uiribus, & (ærario suo sustinere coactus. (Nã sine nũmo riget bellum, & facile dilabitur cohors) quo cõfugeret ad auxilia imploranda, si socij non missent, non habebat. Quapropter in media arena de idoneo sibi consilio, & auxilio cæpit prudentissime cogitare, quale nactus idoneum ausit interpellare pollicitationibus, uerbis, nuncijs progressũ hostiũ, quoad tamen ictum fœdus re ipsa uellet cum hoste pugnare aut impedire, aut quoquomodo tentare, & infestare, proque sua parte agere opportuna, & iuxta occasionem oblatam. Erat in animo Clementis optimi & summi Pontificis exteras nationes e finibus Italiæ propellere, quam orbis partem quia uidebat a Deo, & natura mari, & montibus circumscriptam, & ab alijs disclusam, iccirco cogitabat æquum, & iustum fore, ut queq; natio suam incoleret regionem, eaq; frueretur, quæ cogitatio Clementis amplissimi

de Italiæ libertate non potuit altius descendere in pectus sociorum belli, quin putaretur, & haberetur tota simulata, Iccirco diffidebant, & diffidendi causa fuit retenta memoria cuius esset consilij Iulius secundus, quasi quisq; successor eiusdem uolũtatis, dubiæq; fidei, ancipitis animi, inconstantis uirtutis iudicari debeat. Si porro fides fuisset in his, in quibus esse debebat, hodie Roma Princeps, Cardinales, Senatus, ciues Populusq; Romanus ad tantæ cladis fastigium non peruenissent, nec bona ecclesiæ, atq; utriusq; fori in sectionem incidissent, nec tanta librorum suppellex partim lacerata, partim usta fuisset, ne nunc aggregem ad hæc incommoda, & detrimenta quot collegij pontificis contumelias, quot nefaria facinora tolerarint. Hæc pudet ad te scribere, quæ cum summo pudore etiam nuncius tuus narrabat. Taceo quot in fugam conuersi Roma decesserint, destituti pene uiatico. Venetias Aegidius Cardinalis, & Tranensis ambo confugerunt sibi tutum locum, nisi eôdem accederent nusquam fore opinantes. Aegidium Patauium uenturum propediem nuncius mihi tuus asseruit, quem inuisere opto, ut ex eo plenius cognoscam de hac aduersa, & iniqua fortuna aliquid, præterquam ꝙ hunc ipsum intelligo humanioribus literis, & musis operam dedisse ualde & nunc his ualere admodum. Cæterum Italiæ fama magnam iacturam fecit hac tempestate, quæ quondam sola totius

tius

tius orbis terrarum imperium tenuit, Quid igitur Barbari præsentes, quid futuri de nostra discordia dicturi sunt, domicilium olim Imperij, nunc templũ Catholicæ fidei Sedem uicarij Dei, Collegiũ præstantissimorum hominum, oraculum pietatis, præsidium bonorum, propugnaculum uirtutis, Gymnasium bonarum literarum, profugium, & columẽ doctissimorum manu Barbara, & impia oppressum, atq; si diu prematur cito deletũiri nemo non uidit? Quis hac de causa non doleret uicem Italiæ? Quis non obiurgaret dissidia potentum? Quis non fleret omnibus imminentem seruitutem? Serpit enim indies latius hæc pestis, cuius iugum nisi depellatur a ceruicibus nostris, breui serui omnes futuri, de quo etiã, atq; ẽt posteritas uiderit. Nunc uero ad tuam singularem humanitatem uenio, cum nuncium ad me miseris, qui mihi tot facinora sine literis tuis recitaret, tametsi plura multo alia tibi dici se audiuisse mihi fassus sit, quã quæ dicenda mandasti. Scripsi ob id etiam ex uerbis aliorum quæcunq; honeste, & uere scribi posse existimaui. Aegidium Cardinalem huc Patauium proficisci aueo, una enim & te ad urbem e rure tuo uenturum, eumq; amice inuisurum opto. Tum ero tui comes, modo de tuo aduentu me rescire facias diem, Id interim tibi promitto ad eum me non sine te accessurum, quem nondum de facie cognitum obseruo, & ob famam perpolitæ doctrinæ uehementer colo,

sed rumor quidam increbrescit de pestilenti morbo, quem Deus optimus ab hoc Gymnasio auertat, a quo discedere cogerer, & si frequens iuuenum digladiatio me hinc decedere urgeat. Tam factiosa, & insolens Vicetinorum natio, ut hanc nostra ferre non nisi ægerrime possit, & tamen de nugis & chimeris more iuuenum digladiamur, Ego quia non possum non interesse uoce sociorum stimulante, satius fore ad requiem studiorum meorum duxi si hinc Bononiam proficiscar. Te interea forte alloquar, & quicquid mihi consilij præbueris, maxime probabo. Vale, atque diù feliciter.

Patauio. M D XXVII.
Idibus April.



LVCILL. PHILALTH, Artium, Medicineq; professor.

HIERONYMO FERRARIO græce, latineq; eruditiss.

* * *

VIX e tuis manibus elicere queo ad te scribendi argumentum, quod raro scribis, ac facis illud Horatij. Et toto non quater anno menbranam poscis. Valde ob id suspicor te uel arduis implicitum occupationibus, uel aduersa (quod Deus auertat) impeditum ualetudine, uel paruiface re amicum. Quod scribis aliquando, inde cōijcio nō parui fieri nostram a puero fere consuetudinem, semper deinde bonarum disciplinarum studijs accurate, & diligenter confirmatā. Quod tibi aueo semper, & opto optime, nulla opinor te molestia ægritudinis laborare; Reliquum igitur a tuis metuo negotijs, quæ hoc beneuolentiæ officium tardent. Postq̄ enim interuallo locorum disiuncti sumus, nisi per literas quimus colloqui, cuius colloquij nōte tædeat quæso, quoniā me nunq̄ piguit tuas humaniss. elegātesq; literas legere, neque pigebit, etiam si millies scripseris.

Accepi

Accepi tandem literas tuas, quas ad me misisti Patauium, cum modo sim Bononiæ. Nostri fecerunt, ut ad me perlatæ sint. Discedendi ab eo Gymnasio causa fuit tumultus. Nescio, an de eo factus sis certior & de moribus iuuentutis, cui nisi prouisum sit, præceps quotidie magis ruet in arma. Agitatur quædam magis, magisq; indies inter Vicetinos, & Brixienses discordia, serpitq; quotidie longius, quæ quidem male mea torquet, & uexat studia. Calluisti tu dudum animum meum, & quam sint mihi, & ocio meo literario illæ digladiationes infestæ. Verum huic meo discessui illud incommodum accidit, ut est ad me præscriptum, ipsum inter digladiatores numerari, de quo abs te peto omnem in modum, ne quid Venetijs contra me decerni feras. Quod si istuc properare cogar, non ero piger, ne sit calumniæ locus, ne ut innocenti imponant onus nocentum. Certo (scio nullam in me culpam reuera) & iuste conuerti posse, quamq̃ in me nonnulli facile latrent, meq; absentem incusent. Desinant uelim mihi hanc notam inurere, hacq; solicitudine iniqua occupare, & premere Tuæ (mi Hieronyme) sunt partes ad defensionem meam inimicorum calumnias infringere, quippe qui potes debilitare aduersarios meos, repellere uim ementitæ querelæ, ac pro me eiusmodi niti, ut cognoscãt te strenuũ presertim innocentiæ defensorẽ. Qua de re, deque omnibus negotijs meis si aliquot li-

teras mihi exarare uolueris, posthac unguentario, seu seplasiario nõ longe a columnis in foro Diui Marci tuto committere poteris. Hic etiam, ni fallor tibi meas est redditurus. Postremo me lætitia complesti cum fatere in eisdem literis te unum obtinuisse multis posthabitis munus, & dignitatem. Id totum mihi crede e tua doctrina, & uirtute pendet, cuius iam odor cunctis Reipub. naribus suauitatem redolet. Nisi enim ex his, unde nam pendere dixeris, cum tibi adhuc iuueni, præclaro tamen obtigerit gradus antehac senibus dignus. Hic sane multa præbet inditia. Primum pietatis in te patriæ, ac beneuolentiæ incredibilis. Deinde esse aliquot in Repu. primarios, qui tua promerita adnimauertunt, pendunt, ementiuntur dignissime, Iccirco non est principio bene agendi despondere, aut demittere animum, & si sæpe iter uirtutum perdifficile, asperũ, inuium uideri solet. Nam Dij uirtutibus tandem deesse non possunt, quarum illi authores, & quas tanquàm dant mortalibus dona. Plerique sunt in Repub. Veneta eiusdem, & maioris ætatis iuuenes, ditiorisq;, et antiquioris generis, incredibilis fauoris, qui nunq̃ prehensare destiterunt. At uero tu uirtutes adiutrices habuisti, quæ præhensare dudum nouerunt. Quod porro nunc uides fortuna etiam comite factum, hoc spera indies maiora, uti ego præ uideo fore, non quia amor erga me tuus huc spei

impellat,

impellat, sed uirtus tua quia fundamentum sacrum, & sanctum meritorum tuorum animos tibi ciuium conciliauit, obstrinxit, neque nunc cogit non modo bene sperare, uerumetiam cuncta tibi optare feliciter. Veruntamen uelim ignoscas ardori meo, si amice quædam tibi suppeditauero ad augedam Reipublicæ tuæ erga te honestandum propensionem, quoniam nunc es uelut persona in Theatro, in quam optimates, & primarij maxime intuebuntur, & defigent oculos, obseruabuntque inuidi quid, & quantũ gesseris, Iccirco tibi persuaderem, ut quam expectationem patriæ tuæ deteipso excitasti humanitate, gratia, morũ probitate, facilitate incredibili, doctrina mirabili, hanc ipsam omni studio, & cura sustineas, aut etiam augeas, putesque te iacturum prima non opinionis, & gloriæ huius ætatis fundamenta solum, sed plane etiam futuræ, Multum interest si tibi principia bene habent. In Hesiodo proditum est initium esse dimidium totius, his prætipue, quibus est animus ad Rempub. capessendam accedere, si te porro præstiteris uti cognitus es in hoc primo aditu dignitatum, illustrabis uestigia, & curricula ad maiora, nec tua uacabit opera unquàm, nec locus deerit. Semper in optima opinione, semper in munere, modo non desis magistratui, hic tibi ultro obuius erit. Quare incumbe toto pectore ad has cogitationes, & profecto incumbes cum tua perrenni laude.

laude. Quæ sane ad te scripsi non quia tu non multo melius hæc perspicias, quam ipse, sed quia addendus erat stimulus amoris huic cursui tuo, nolui deesse officio meo. Quod me amicissime incitas ad usum studiorum, ut sinam edi in lucem commentaria illa græca a me primum latine facta, tibi obsequar. Iam conuenit inter me, & typographum. Auspicati sumus: Nicolao Rodulpho Cardinali inscripsi quædam, non quia mihi promerear pensionem annuam, nec quo aliquid sperem, sed potius, ut eius modi sit hoc illi monumentum ob doctrinam græcarum literarum, quam certe callet. An istud tibi uideatur, quoniam adhuc integrum est, & te certo scio mihi fidelissimum amicum esse, cupio ex te cognoscere. Vale.

Bononiæ. M D XXVIII.
Kalen. Ianu.

LVCIL.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicinæq; professor.

EGNATIO LITERATISSIMO, & amicorum opt.

***

SCRIPTIS à me, & iam obsignatis literis tua mihi schedula reddita est de negotio tuo, sed quia tabellarius statim recessurus erat, nec manere tantisper uoluit, quoad de illo per literas te facerẽ certiorem, iccirco non tibi mirum, si te ante oppresserint hæ, quas ad te scripsi pridie Non. Nouemb. quàm quæ date sunt ad schedulæ responsum. Conueni hominem. Sed is obticuit primum, uidebaturq; pene immemor illius ratiunculæ deducendæ, At resipuit, ubi illum hoc monui unum, cogitare bene primum, quo cum ageret, sin aliter, non sibi pro futuram hanc simulatam facti obliuionem. Iccirco ad memoriam reuocauit diem numeratæ pecuniæ. Iureiurando non quæsito, nec postulato tum sibi non esse soluendi copiam affirmauit, se tamen iuratus recepit quo tempore sibi primo, quod breui fore asserit

facta fuerit potestas restituendæ pecuniæ, tibi satisfacturum. Adduxi etiam testes, ne diem prætereat promissi, ne rursus debiti obliuiscatur sui. Sed caue isti quicquam credas. Homo est perfrictæ frontis. Persoluit inficiando, atque ubiq; illi domicilium, necnon omnia potius habet in persona, quam in ære, uiuit indies pauper, & inops. Fugam pro sponsore accipere solet, attamen uxorem, & liberos habet. Assueuit huic modo, tum illi imponere, ne putes hunc nuper fraudem fecisse. Sed nescio qua sorte hic tibi fuerit præ manibus. Numerationem tuam conuertit in usum suum equidem omnem. Scripseris ob id quæ uoles, curabo diligenter omnia, nec patiar tibi defieri quippiam in hoc negotio, nec fraudem effici. Si porro is promisso steterit, nihil cum legato, alioquin urgebo usque ad quadrantem, ut discat in hoc suo mercatu, & dolo neminem decipere, & te præsertim, qui habitus semper fuisti integer, & prudens. Veruntamen una hirundo uer non efficit. Semel hic nebulo te elusit, ne posthac eludat, prouideto, Ego uero expeactbo diem debitori præstitutam. Non uidetur ante conueniendus, postquam tuo nomine ipse ausi præscribere illi certum soluendæ pecuniæ tempus. Deinde ita conueniam, ut iudicium sine strepitu, & summatim fiat. Interea me ama. Sebastianoque Foscareno doctissimo dicito meis uerbis salutem, cum erit tibi obuius, ad

quem

quem scripsi de illius rei summa. Auide eius literas cupio. Vale. M D XXVII. Tertio Idus Nouemb.

LVCILL. PHILALTH. artium Medicineq; professor.

SEBASTIANO FOSCARENO præstantiss. philosopho.



ET si sero, perraroq; meas literas accipis, in causa sunt occupationes tuæ, ac studia, quæ quoties mecum bene animo reputo, me tibi a scribendo deterrent, quasi nõ æquũ esse putem te interpellare, aut tibi occupatissimo addere etiam Biantis doleum, quod si etiam uoluere uelles non est tibi uacuum tempus, id quoniam considero, uti etiam considerare decet, me temperare sæpe soleo ab hoc quamuis beneuolentiæ testimonio, & amicitiæ officio dignissimo, Veruntamen ad quem lubentius scribam te nemo superior occurrit de rebus præsertim serijs, & mihi omnino necessarijs, quas nunc non est necesse pluribus

cesse pluribus recitare tibi, quippe qui non semel, sed persæpe omnia percepisti. Renouare modo tibi memoriam non licet, ne uidear tuæ diffidere uoluntati, & animo erga me beneuolo, nec expedit tuam excitare prudentiam, quia loci, & temporis opportunitatem habes in animo. Scis enim quemadmodum res gerenda sit, & cum tractanda, si tamen sæpius eadem de re ad te scripsi, nõ mirere, nec stomachere uelim, quoniam me urget cupido redimendi patrimonij tandiu amissi, cuius fructus usurpat immerito fiscus, ne dicam uerbum inique. O fortunam immanem, & periniquam, Accerbissimum enim est se non posse publice defendere, neque ab ullo defendi, sed tamen procurator meus, atque patronus explicabunt quid demum a tua peterem humanitate. Quæcunque accident sum ipse laturus, si male, grauiter, si bene, æquo quidem animo. Non postulantur aliena, sed nostri fundi, nostri olim iuris omnia. Verum officia tua in me à te profecta, etiam si non bene mecum erit actum, semper erunt gratissima, Quicquid feceris, approbabo, quoniam confido te ea esse facturum, quæ maxime in rem fore meam iudicabis. Cognoui iandudum tuam erga me beneuolentiam cum te attente audiebam philosophiam docentem. Perspexi partes tuas, suauitatemq; ingenij, officij, humanitatis, quibus fretus duxi semper meas literas apud te pondus habituras, meque, & res meas a te pluri-

mi fieri, q̄ & tu declarasti superioribus literis quinto idus April. tua manu amantissime subscriptis, siquidem perscripseras neminē quā te malle non modo restitui omne patrimonium cum recto dominandi iure uerum etiam sarciri emolumētum fructuū, atq; usuram, qua quidem uoluntate cum nihil iustius, tum nihil amantius percipio. Si.n in te esset positum, non dubito, quin rationibus meis, iustitiæ, æquitati fuisset prouisum, Quia uero non est, sed in magna rogatorū multitudine constitutū uideo, ubi multa capita, multæ sententiæ, hinc a te etiam, atq; etiā peto, et quæso ut quibuscunq; rebus poteris; Poteris autem pluribus, patrocinio prospicias meo, meq; iuues maximè. Ego in ea Rep. nullum nactus sum te beneuolentiorem, amiciorem, & quem uideam plane ueri, & iuris defensorem, constantem, & optimum. Si enim tui similibus Senatus Venetus refertus esset hodie, non laborarem. De eadem re scripsi ad Marcum Antonium Valerium tui amiciss. Rescripsit se mihi nō defuturum, modo res proponatur, ac dolere interim occasione non præbita, Quamprimum iccirco sibi dari nouerit, se suscepturū erga me officia, atq; parteis tanq̄ parētis optimi pollicetur. Huic commentarios Alexādri Aphrodisei Græcos a me nuper, et primū latine conuersos de locis argumentorū, quos Topica Aristotelici appellant propediē dicabo, sed nō ante quidē, quā chategorias Simplicij Græci interpretis

Aristo-

Aristotelici latinas fecero tuo nomine inscripto extare, & in uulgus bene latine apparere. Te.n.delegi unũ ex omnibus, cui hæc optime potuit lucubratio nuncupari, quippe cum prima omnis philosophiæ rudimenta, & summa rerum capita compræhendat. Quondam circunferebatur quædã editio nec græca, nec latina, quam homo utriusq; linguæ parum peritus edidit. Si tuis illa in manibus est, facile deprehẽderis nihil non uere de doctrina hominis scriptũ, non uti hodie faciunt ambitiosi pedagogi, parumq; prudẽtes, qui alienos labores sibi uendicant duobus, tribusue principio uerbis mutatis ignari dialecticæ, philosophiæ, ac medicinæ, quos hæc uestra Resp. antiquiss. illustriss. primũ arguere, deinde si pergerẽt facere, lege ambitus, aut furti punire deberet, sed hac de re aliâs, nũc tuis erga me promeritis Gymnasia debebũt, quibus erit horũ cõmentariorũ latine facta accessio. Cæterum in te, tuaque uirtute oẽm spem repono negotij, ut magis reponere nõ queam. Non desunt tibi amici, nõ authoritas, nõ gratia, non laus, quippe qui perfunctus oĩbus muneribus cũ summa semper magistratus, & gradus laude præter supremũ Reipub. omnibus chariss. gratiosus, amiciss. Quid superest nisi corona, et dignitas ducis, quæ ẽt tibi merito debetur? Quare obsecro te, atq; obtestor per oẽs uirtutes tuas, promerita, dignitates, ut meũ iustũ, et pium negotium ita tractes, ut aliquando possim tibi omnia,

uitam, studiaq; recepta referre. Vale. MDXXVII Quinto Kalen. Decemb. Bononiæ.

LVCIL. PHILALTH. Artium, Medicinæq; professor.

ALOYSIO IVSTINOPOLITANO nepotum præceptori.

TAM, & si Patauium illuc quidem literas tuas misisti ignorans meum discessum, & causam discedendi, tamen hæ Bononiam conuolarunt, Tria itaq; tibi sum explicaturus seriatim. De literis primum. Mane accepi, dolebamq; stomacho. Liberasti me, simulq; dedisti mihi augurari tibi bene illud euenturum, si Medicinæ te adiunxeris. Eodem die cogitaui responsum. Venisse arcam, supellectilemq; librorum tuorum gaudeo, & nihil deesse uobis, multo uehementius. Fac, ut uir sis, uti hactenus præ te tulisti, de quo prudenti satis posthac literas meas tuto accipies ex manu unguentarij, qui domicilium habet ad forum columnarum, cui etiam secure dederis ad me tuas. Scripseris sæpe, etiam si tractu longiore a uobis absum quamquam spero uos non biennium isthic fore. Patauium tandem proficiscendum est. Interea da operam, ut hinc di-

scedas

ſcedas doctior cum adoleſcentibus,& bene morigera tis, Ad id pertinet ſumma morum. literarum, & officij tui. Deinde de meo diſceſſu non mirandum, Magis mirari debuiſſes, ſi intra digladiatores permanſiſſem, a quibus mea natura abhoret. De diſceſſu ſcripſi ad affinem meum parentem adoleſcentum uernaculo ſermone. Nec expectaui reſponſum. Noſti dudum negligentiam, aut tarditatē hominis. Bene omnia exequi ſolet, ſed lentius. Confugi itaque Bononiā quaſi ad columen ocij literarij cum bona animi pace, & quiete. Iamq; omnia mea iſtuc perlata ſunt. Vnum reliqui apud te e penetralibus cordis mei negotium nepotum, in quod toto pectore incumbas uelim, ut de eo quemadmodum abs te tractetur non deerunt, qui mihi ſignificabunt. Hæc non ſcribo timens, aut ſuſpicans te nobis defuturum, ſed quia uereor, ne ineant cum improbis ſocietatem illi, & tu breui perire uideas quantum tua cura; & diligentia edidiſti, & coluiſti magnopere. Redeo autem ad diſceſſum, quem antequam adornarem cûm Lazaro Bonamico uerbum feci, quo cum mihi magna fuit conſuetudo, etiam ante ſuam profitendi prouinciam. Tum ille comes erat Epiſcopi, quem Altini, ſeu uulgo Torcelli uocant. Itaq; uetus inter nos amicitia intercedit, cum porro tibi erit tempus proficiſcendi Patauium, hunc græcæ, latineq; doctum non defore tuis ſtudijs exiſtimo, cui non unis literis.

te commendabo plurimum, mea tamen mens est, ut quoad mitioribus, literis & musis animum attendis, incipias aliquid Dialecticæ audire, de qua reseruo ad tempus scribendum. De mea salute, deq; omni meo statu nihil; nisi optime Expectamus Clementem summum Pontificem, & Cæsarem. De aduentu certi nũcij. Multa quotidie parantur. Hinc signa apparent aduentus. Si quid noui fuerit, & id scire auebis, non prætermittam, quin scias. Postremo de causa discedendi tantum tibi significo, q̄ nequeo tot controuersias sociorum audire. Assueuere interse manus conserere, q̄ æquo animo tulissem, nisi me coegissent e domo egredi, & cnm illis arma accipere. Semel, aut bis licuit id facere, sed assuescere non est in rem meam. Quare mihi consului cogitans de discessu, & opinor bene mihi; & Musis consultum, unus ero in bibliotheca mea, & solus in uia, totus in libris explebo sitim meam meo nempe arbitratu in ipsis fontibus. Non erit qui me conclusum auocet, qui me abducat aliô, qui me deterreat a cæptis, cum præsertim & hic habitent dij, summiq; philosophi Ludouicus Bucca Ferrea, Pellegrinus, Medicique optimi, atq; Romulus Amasæus elegans, & perpolitus humaniorum literarum æque græce, atq; latine professor, qui mihi maximo erit adiumento ad id quod cupio. Equidẽ uertit Xenophõtis opus grecũ ad modum latine, & recte quidem. Interea esto bono

animo,& perge sicut cœpisti,ut una esse,atqne uiuere possimus aliquando; Vale. MDXXVIII. quarto idus Septemb. Bononia.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicineq; professor.

PETRO BEMBO GRAECE, Latineque perpolito.

TANDEM reficiendi uires, & recreandi animi causa proficisci recta in Nucerium aui mei uillam Aegidius Cardinalis doctiss. tuique amicissimus constituit, cui quàm infesta fuerit febricula cum pituita scis. Huc item uenturum Gabrielem ordinis Heremitarum magistrum tui studiosissimum, aliquotq; dies nobiscum mansurum, ut belle, laute etiam ipse in uilla fratris sui a nostra non lõge recipiat Cardinalem ne ignores, scripsi breuiter. Gratum certe tam nobis feceris,quam gratissimum, si ad conuiuium properes huc nostrum. Nam interuallo itineris non admodum abes. Intra enim trium horarum spatium mane conficies iter. Eritq; sane tempus colloquẽdi bene lõgũ, Nec pudeat uenire q̃so etiam si ad tuum Nonianum nos minime inuitasti.

Nam Nucerio potius iter est Romam, quam Noniano, icc irco Cardinalis Romam proficiscens, aut potius reuersurus ad lares nostros accedere statuit. Si aues uoluptatem percipere ex doctissimi hominis sermone, & amicum affari ante discessum te expecto & rogo, obsecroque mirum in modum. Nostrum si non symposium more Græcorum, conuiuium saltem modo nostro melius honestabis, præsertim cum sint in manibus nostris aliquot tui carmina uernaculo sermone composita, quæ nos supraquam tibi credibile est, uehementer delectant. Si ueneris, non aliô, quam ad tuum Nonianum persuade tibi uenturum. Et paraui tibi cubiculum Soli, ut sine quadra tuo libito utare, & uiuas id temporis iucunde. Si enim huc non mei amore adduci uis, saltem per genium tuum, deosque penateis nostros te obsecro, obtestorque, ut properes. Vale. M D XXVII. Tertio Kalen. Septem. e Nucerio.

LVCILL. PHILALTH, artium, Medicinæq; professor.

GABRIELI ORDINIS AVGVstinianorum præfecto.

* * * *
* * * * *

DE tuo aduentu ut audiuimus, undique sumus ipsi perfusi lætitia ego, & auus meus. eoque magis, quod summo desiderio expectamus, & cupimus fratrem tuum, Aues uenatorias congessimus ad illud uenandi genus, quod scis, Nihil defuturum puto, modo accipiter Buteo suo bene fungatur munere. Vtinam siluæ uicinæ essent, uenatio fæstiuior uideretur. Deest porro uel lucus, uel cœlum, non autem nobis uoluntas, qui hactenus dedimus operã, ut nihil ad conuiuia peragenda desideretur, itaque nihil est, quod cures parandum, Et omnia, musica, & ioci, ac præmia certandi decreta sunt. Quamprimũ placuerit, nos sumus in promptu, Vnum optamus, nuncio pridie nobis significari aduentum, quàm istinc ad nos abeatis, ut coqui sui muneris reddere rationem non habeant, & nos

non accuses ignauiæ. His de rebus Petrum Bembum tui amantissimum, meis literis, ac nuncio certiorem feci, necnon inuitaui etiam obtestatus ipsum per deos penateis nostros. Vereor, ne pudeat accedere, sed tamen nullam subesse pudendi causam docui, Scripsi ad fratrem tuum mihi charissimum non cunctari, quin ad nos euolet. Dum scribebam hæc ad te nuntius uenit, qui eum in uia reliquit. Ante Solis occasum adfuturum affirmat, mox decreueris de itinere ad nos. Et uinea nostra dabit odorem suum. Græca uina, & quæ solent a mercatoribus in onerariis nauigijs, aut nauibus e Peloponeso suauiora, atque salutaria Venetias aduehi, non deerunt. Prandio primum, alia uero potionibus suauissima aggregauimus. Vale. ex Nucerio. M D XXVII. pridie Kal. Septemb.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicinæq; professor.

AMPLISS. CARDINAL Aegidio Viterbiensi Græce, Hebraice, Latineque doctissimo.

* * * *
* * * * *

CVM supremo eius di ei Sole, quo te die Pa- tauio discedendum, & Romam postridie cogitare dixisti a me pro tua singulari benignitate, & incredibili uirtute postulaueris, ut sæpe ad te aliquod meæ erga te obseruantiæ signum perferri curarem, idque etiam in campo Nucerio, & aui mei uilla repoposceris, pro eo ac debui tibi abeunti has exarare literas constitui ratus hoc fore tuæ personæ gratissimum, quod cernis me iam tibi obsequi, moremq; gerere. Nec saluus sim (Aegidi lux, & decus Cardinalium) si dies, noctesque non meditabar id temporis, quo tibi meus in te animus ostenderetur, & uiderer simul incepisse tua mandata facere. Nam pluris æstimare soleo exemplaria uirtutū summarum, quam ipse forte tibi persuades.

Quo

Quo esses in numero literatorum, iampridem ex uerbis maxime eruditorum cognoui, nunc in colloquio tecum meam asserui opinionem, & confirmaui eatenus, ut te pro certo habeam doctissimum. Nuper uersus tui cum epistola quadam ad Iacobum Sanazarum hominem nostra etate in utraque lingua, uernacula & latina limatum, & urbanum in meas deuenere manus cum summa lectionis uoluptate atq; oblectatione præcipue, qua incredibiliter affectus calamum sumpsi ad te de hoc poematis genere scribendi. Lyricum est, atque oda, quæ nunquam in palinodiam transferri potest. Cuncta uera, & quæ ad uterum beatæ uirginis attinent diuinitus, quibus quidem de rebus laudauissem perpetuo heroicũ pangi, quoniam altum, & coriphæum est, non humile, nec abiectum. Deprehendi unum in oda, & lyra tua suauissimum, quod mihi perplacuit, & cuique perplaciturum sentio. Tam belle carmen Francisci Petrarchæ uenaculo sermone conditum in latinũ transtulisti, ut non potuerit ad uerbum, & ad rem traduci melius. Quoties confero, cecinisti tu melius uel æque. Nec parum fuit tua florenti ætate huiusmodi cecinisse, quando ipse quidem senserim magis arduum uersus uernaculæ linguæ conuertere in latinam, quam suaptæ minerua pangere. Hoc enim liberum est, illud uero ea lege condendum, ut ab archetypo ne quidem uerbo liceat digredi. Iccirco fuit

inter-

interdum difficilius Apellis grammata imitari, quam ex se studiose aliquid pingere. Hinc Vergilius se superasse mihi uisus est, quoties Homeri uersus latine faciebat, quam cum suo diuino furore sine imitatione canebat. Verum crediderim. ut musæ, & charites a ueteribus inuocatæ cæptis fauebant, ita tibi, tuoq; carmini parentem Christi aspirasse diuinitus, quo hæc tua oda resonaret dulcissime, legi ob id sæpe & quoties omnia uerba examinaui, & diligenter appendi toties uidebatur suauior, & amænior, Sed de Virgine, deq; carmine aliàs, nunc Romam contendis ad pristinum domicilium tuum, inquo licebit requiescere, & si non inter libros bibliothecæ tuæ Græcos, & Hæbreos utinam non consumptos, quoniam adhuc adhibita cura, & diligentia redimere minoris forte poteris, quam suspicare, quod ut facias, ēt, atq; etiam obsecro, ne tot rerum diuinarum, & humanarum mysteria a maioribus conscripta perpetuo Letheo obscurentur, quod commemorare & si forte est refricare uulnus summi forte doloris tui, tamen id eo effici animo persuade tibi, ut recuperetur Pallas iniuria hostium de tuis ædibus distracta, atq; abducta. Interdum plus ualent monimenta scripta librorum, quàm arcæ nummis refertæ. Vt enim animus corpori ancellit, uisque ingenij corporis robori, ita animi diuitiæ præstant opibus fortunæ. In hàc enim non expectata Populi Romani calami-

tate

tate, nec præuiſa quantum inter animi, & fortunæ bona interſit, plane potuiſti pernoſcere. Nam fortuna ab iniquis hoſtibus tibi adempta, ſed animi diuitiæ a nullo eripi potuerunt. Quocunq; tecum contuliſti. Quæ ob id ſunt fortunæ putato tanq̃ inſtrumenta uiciſſitudinis, nec diliges nimium, ne amiſſis doleas. Magnum id fuit Epitecti noſtri e porticu ſtoicorum non digreſſi documentum. Quocirca ad ſupellectilem librorum incumbe recuperandam, quibus uelut organis te conferas ad portum uoluptatis, & fælicitatis humanæ, Vnde item doctrinam hauſiſti cauſam imaginis tuæ apud mortales, & nominis ſempiterni, Tua te uirtus, & ſcientia extulit in hãc honoris, & muneris celſitudinem. Tua præſtantia in græcis, hebraicis, latinisq; literis te cunctæ Europæ reddidit illuſtriſſimum, ampliſſimum, præclariſſimũ. Ego equidem pluris duxerim tuam rerum ſcientiã, quam opum amplitudinem, quod quidem a me uere, et ex animo ſcribi ex eo maxime cognoſces, quia ſemper iſtuc ipſum factum Leonis X. max. Pont. ubi te cooptari in collegium Cardinalium, inq; illorum numerum uoluit referri, maxime probaui. Nam multos uel generis coniunctio, uel forte diuitiæ huc dignitatis adduxerunt, te autem ſola doctrina euexit, Lætandum ob id tibi maxime puto, qui uiam anguſtam uirtutis, & perdifficilem tuo itineri aperuiſti cum mercede, & gloria uirtutum tuarum. quod etſi

ſolent

ſolent plerique fortunæ tribuere, ego interdum aſcribo prudentiæ & homini ſcienti foro uti, Quando & tu quidẽ in quotidiano ſermone ex ore elabi hoc uerbũ ſinebas. Mũdus decipi uult, Decipiatur ergo, Qui nimo uita hominis eſt ludus ſophiſtarum. Hodie una ſola ſapientia in præcio eſt, in foro bene uendere, Cæterum tibi gratulor perualde redeunti ad forum mercatus, ubi requies tibi, et ocium erit cum muſis, et ſacris literis operam nauaueris quo ad uoles. Expecto uel ſchedula certiorem fieri de tua ualetudine, de itineris proſperitate, atque de omni ſtatu tuo, quem ſpero, & opto fore feliciſſimum. Hactenus tibi bene eſſe ſine moleſtia ex his intellexi, qui iſtinc ad nos proficiſcuntur, quiq; exoſculati ſunt tuas doctas manus, qui de te multa prædicant, & uidentur maximè ſalutem tibi percupere. omnia ferunt hactenus bene. poſthac Deus atque Dij omnes cæleſtes tuum iter fortunent, & te mei memorem faciant uelim. Vale. M D XXVII. Quintodecimo Kalen. Octob. E campo Nucerio.

LVCILL.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicineq; professor.

GASPARO CONTARENO primario Philosopho, & Theologo, Græce, & Latine doctiss.



ET scripsi ad te dudum, & literarum tuarum unas accepi perbreueis, tuoque more doctas, atque suaueis, ad quas serius forte respondeo, quam decuit, & quam forte expectabas, sed si causam tarditatis expetis declarari, nullam crede aliam nisi quod putem te assidue occupationibus districtũ. Iccirco nollem his meis leuioribus tuas doctas aures perstrepere, tuumque animum a grauioribus, & melioribus negotijs auocare, in quibus quicquid otij superest sæpe soles consumere. Adde me non facile abundare argumentis, quoniam ad te scribere uirum nostræ ætatis doctissimum, summi iuditij, exactæ prudentiæ, quem omnes hodie confitentur rei literariæ primarium, non est cuiusuis, nec in consulto. Et nosti tu ingenioli mei tenuitatem, Quapropter quoties ad te cogito aliquid tabellario, aut amico literarum me datu-

turum, multo ante mediter hypothesim oportet. Ac nisi tuæ literæ facundæ prudenter, comiterque scriptæ mihi suppetias aliquando darent, certe non haberem quid exarare possem. Euenit porro nescio quid mihi præ manibus, dum admiror in tuis literis scientiam, & copiam incredibilem, & cum insisto bene perpendens omnia singillatim, nihil emetior, nisi uenuste, ornate, eleganterq; scriptum, Nihil redundat, ut in meis quædam uidetur loquacitatis, aut magis garriẽdi, nugandiq; licentia, neq; deficit. Aeq;, dilucide omnia cum quadam sermonis grauitate conscribis, & me cogis in doctrina tua diuinitatem, & in eloquentia maiestatem etiam admirari maximè, Dum iccirco meditor te imitari, quo nihil libentius, nihil alacrius facio (utinam possem) laboro ualde in legendis uerbis apte, & his, quæ cursim, succisiuisq; horis (ut aiunt) a puero in summa fere semper aduersæ fortunæ tempestate arripui. Quibus fit, ut sim sæpe tardior in respondendo, quam æquum sit. Hæc de longo scribendi interuallo, deque causa tarditatis. Deinde audisti (ni fallor) quæ insignis, lachrimabilisq; calamitas superioribus diebus Romæ incidit, & quæ iactura, quæ clades summo sit Pontifici illata, quæ Cardinalium Collegio, Senatui, Populoq; Romano strages. Aegidius homo Viterbiensis, & Cardinalis optime literatus istuc ad uos confugit, ad quem salutãdum, cum istinc Patauium recreandi

(ut opinor) animi causa uenisset cum Petro Bembo una profectus sum postridie, quò cum ego, & Bembus unam horam fuimus, multaq; de accerbitate casus intelleximus, deq; accepto detrimento, ac de iactura librorum, quorum aliquot nobis recitauit magni momenti, usuq; magni ad rem christianam confirmandam, Hos flere, aut dolere amissos magis uidebatur, quam quicquid argenti, aut nummi perdidisset, quem dolorem cum ipsi fando aut lenire, aut tollere studeremus, nihilominus eius uicem dolebamus. Ego uero præcipue illum hortabar bono esse animo, propterea quod eos spes erat redimendi paruo prætio, uel quanti posset, quamquàm desperabat id uenturum opinatus omnia in tumultu, & præda periisse. Non poterat in spem adduci pro certo habens neminem fuisse qui in tanto metu, & fuga curam eorum tenuerit. Quod si aliqui ab Hæbreis seruati casu, aut redempti sunt præcio, totum id fortuito accidisse credebat, sed tamen id non sperare se affirmabat. Bembus autem pollicitus se illi quotquot inuenisset libros de re sacra hebraice scriptos missurum, consolabatur interim operam dare ualetudini, ut recte se haberet, & firmior fieret, Nam illi erat pituita molesta cum febricula, qua leuatus Romam cogitabat se confestim reuersurum, ubi sibi melius fore arbitrabatur, At uero nos illum cohortabamur, ut rectius saluti, atq; quoad optime confirmaretur operam nauaret, nec se ante uellet dare uiæ, tamquam

longo itineri, inquo uitæ inesset periculũ utq; suæ memor dignitatis, consilij, prudentiæ esset, ne repugnãte ui morbi uideretur sese in discrimen iecisse moriendi, Interea obsecrabatur, ut se contineret, donec leuaretur ægritudine, deinde uero esse in campo Nucerio cœlũ clementiss. sciret, ubi simul animum recreare, & uires corporis breui reficere poterit, præsertim cum illac iter etiam sit Romam redeundi, itaq; morbo liberatus nondũ firmior ad aui mei uillã uenit, in qua a nostris amicissime, & splendide receptus aliquot dies nobiscũ moratus intra q̃ tpis spatium suas asseruit uires, & pristinam artubus reconciliauit firmitatem, Quæ ex eo ad te scripsi, q̃ si Venetias uenerit hominẽ tuo cõmodo literatiss. & digniss. Cardinalẽ reuisitas, quo cum mihi fuit de tua doctrina insigni longa oratio. Dum .n. ille Sebastianũ Foscharenum in philosophia maxime laudaret, & Nauagerium legatum (ni fallor) ad Carol. Hisp. Regem in mitioribus literis, & præcipue in carmine, non potui me continere, quin exilirẽ in campũ tuarũ laudandarũ uirtutum, & disciplinarum maximarũ, quas audiebat attente, & magna sane cũ uoluptate, affirmabatq; te aliàs nouisse, atq, reputauisse in literis præstantiss. non solum peripathæticæ philosophiæ, sed etiam in sacris, atque ciuem Rei publ. Venetæ primarium, cui ego uerbum addidi forte nimium audacter, sed tamen uere, hodie illum non habere rationem politiorum literarũ, & utriusq; philosophiæ, tam eius,

quam utraque Grecia nobis peperit , quam illius a Christo de cœlo deuocatæ,nisi Contarenum nobilissime gentis, & uarijs doctrinarum generibus, perornatum nouisset. Deque commentarijs tuis honorificam mentionem feci, itaque in eius animum igniculum inieci te alloquendi,& mirifice diligendi . Iccirco gratissimum erit,si politiorum literarum reuiseris alumnum, Iocundissimum erit colloquium . Vtinam interesse possem,ne uerbum quidem periret, siquidem nisi graue,& auditu, memoriaq; dignum facere poteritis . Voces enim prudentum, & sapientum exaudiendæ , atque auscultandæ sunt . Hæc de Cardinali doctissimo,Reliquum ad literas tuas uenio officiosissime scriptas,in quibus uideo exemplaria uirtutum , archetypum benignitatis , & indicia tuæ de me susceptæ , confirmatæq; opinionis, Cumq; de tuo erga me animo, atque de studijs meis,deq; modo,& methodo studendi ad me rescripseris diligenter, diuidam omnem illam tuarum literarum significationẽ dupliciter , Et primum non est cur repetas me abs te plurimum diligi . Totum id pro certo habeo , & quotidie semper significàntius ex tuis erga me officijs adnimauerto, ob id in partem confero meæ fortunæ a te mirifice amari confisus integritate ita animi tui, ut sperem hunc tuum amorem aliquando mihi magno usui fore,& plurimum ad idualiturum,ꝙ animo concipio . Vir enim omnibus fere ornatus disciplinis,

nis, ciuis optimus, patritius de tua patria optime meritus, in tua Rep. præpotens, in consilio habitus sapientior, in authoritate maiorũ quem cœteri intuentur, cuius præterea uerba auscultant, atque ex oraculo quasi intenti uoces excipiunt. Te omnes suspiciunt, Te colunt optimates, Te Senatus grauissimũ Senatorem appellat, & Populus Venetus defensorem iusticiæ, amicum libertatis patrem patriæ inuulgat. Quæ quidem omnia per se magna uidentur, Sed illud maximum, atque diuinum sine inuidia ab omnibus amari & coli. Quibus facile adducor in eam sententiam, ut possis me tua authoritate iuuare & patrimonio recuperando facere satis, in te omnis mea spes. Obdurui quoad tibi uideretur sumendum esse initium a petitione fundi, qui est in ditione Brixiensi, quo & si facio nihil inuitius, tamen aliquando faciendum est, ne tacitus, & immerito priuari heres uideatur. Verum non urgeo, nisi cum placebit, & tuo quidem commodo, & quando uti bene foro noueris. Iccirco quo tibi commodius, id mihi gratius est. Confido bonitati tuæ incredibili, & nunquam satis laudatæ prudentiæ tuæ mihi fructuosæ. Non enim bonitas animi, & uoluntatis tuæ est, quæ te solum efficiat bonum, sed item benefica pluribus usui, adiumento, Prudentia uero uirtutum moderatrix, & norma actorum si cum iusticia coniuncta est, non sinit opprimi impotentes. Quoties igitur mihi subit

in mentem te utraq; preditum esse cumulatissime, erigor ad spem recuperandi quæ testator reliquit filio, & qui potuit condere testamentum, & multo ante condiderat, & codicillorum beneficio confirmauit, Quod si codicilli a damnato læsæ Maiestatis nihil conferunt, attamen testamentum ante perfectũ, & absolutum ius habet, quamq̃ inique accusatus, & falso delatus non potuit nisi damnari iniuria, & nõ iure, presertim absens, & qui audiri non potuit, & cui pena prius rogata, quam sententia fuisset declarata. Sed quid ego hæc tecum garrio, quia nosti tu melius quid causæ queat conducere, quam ego istuc ipsum deprecari? Proinde uelim tu tibi faceres uerba, quæ tuam erga me gratitudinem ad id compellerent, quod paucis tibi percupio esse persuasum. Deinde quia quædam sapienter de studendi ratione præcipis, ago tibi debitas gratias, atq; debebo semper. Hũc quidem modum, & eam normam mihi præscripsi, & colo magnopere. Nulla.n.dies dabitur sine Musis, & sine Oratore, sed suis tamẽ præfinitis diei spatijs. Grauiora rerum studia mane a prima luce. Ante uero stomachus imbecillis nõ patitur uigilias nec fert laborem. Cum porro horizontem, seu nostræ uidendi aciei finitorem Apollo conscendit, his admoueo manum, & a prandio post duas horas, cuiusmodi saluti consulo, prouideoque morbo ne sæuiat a cunabulis in festo mihi. Verum gaudeo te mihi persuadere, quo

saluti

ſaluti proſpiciã Mineruã ſequar, quæ nõ minuit neruos, ſed quæ moneat, ne quid nimis, quod quidem facio memor Flauij, qui cecinit. Eſt quoddam prodire tenus, ſi non datur ultra. Hæc certe recordor & aliquando illud. Viue, uale, ſi quid nouiſti rectius iſtis. Attameu nequeo terere tempns, ſi aliquando pono libros, ut genio indulgeam, tum non occurrit ioci ſpecies, quæ me ualde delectet, nec poſſum ferre uolubilem in ludo fortunam, cuius uim, iniuriam, odium quoties memoriæ mando, cum me ab utero parentis fere inique bonis ſpoliarit, incommodis omnibus complerit, non queo non grauiter, & permoleſte ferre. Quare ſtatui non utendum mihi foro fortunæ, quæ ceca peruerſa, iniqua, totius corruptelæ origo, ac fons malorum eſt, Tum enim lætatur, & uoluptatem capit, cum me ludere, uexare, torquere poteſt ſuo modo, Quid ergo faceret, ubi me in ſuo ludendi regno uerſari cognoſceret? Non dubito, quin eluderet, & amiſſa pecunia incenderet ſanguinem, & præcordia, meque furore, & ira compleret. Quare putaui melius fore, ſi procul abero ab imperio eius, & uirtutis ueſtigia obſeruaro tempus omne, Hæc cogitata ſcio tibi probari, neſcio autem quibus interponere commodis bonas horas atque ſtudia poſſim, niſi me admoneas digerere quæ ingeſſi, & ingero, & interea feriari, quod ſi admones, facis tu quidem ſapienter.

Sed alget uentriculus, desideratq; plus forte, quam queat concoquere. Vnde noui ingenij mei inbecillitatem, nescio tamen quo fato syderum rapiar huc ardoris omne adolescentis ætatis tempus conficiendi in ludo literarum, nec alio abduci patior. Quo de fato, deq; sydere, ac horoscopo aliâs, nunc discruccior animi non esse mihi inculpatam corporis salutem concessam, qua totos dies sane bene in ipsa literarum palestra consumere possem, Verum impedior nonnunquam, & quo tempore præsertim conficior, tabescoq; cura, & ardore aliquid legendi. Sed si datum mihi fuerit, ut ex hoc natiuo morbo me in libertatem salutis asserere queam, non intermittam ullum tempus ludendi in hoc ludi genere. Magnum est assueuisse ludère, a qua consuetudine naturæ germana abstrahi non facile est, & maxime si cum oblectatione huic intercedit coniũctio. Tu uero me mones, quia sum monendus, ne amplecti cupiam, quæ diu retineri nequeunt, Hæc omnia iampridem cognoui salutaria præcepta, atq; aduerti ex penetralibus cordis proficisci, tamen pro tua, quæ est clementissima natura mihi ipsi consulere iubes. Faciam, & prouidebo maxime, ut bene ludere discam, atq; iocari cum musis sæpissime. Vale. M D XXVII. Sexto idus Augusti. Patauio.

LVCILL.

LVCIL. PHILALTH. Artium, Medicinęq; professor.

ALOYSIO IVSTINOPOLITANO nepotum magistro.



QVAM te ualde semper benefitijs uincere semperq; stipe annua augeri curauerim, nemo te ipso teste melior, & maior. Nec defuit tibi unquàm studium meum, nec mea diligentia, præsertim cum adnimauerterem quæ tu in rem nostram familiarem quotidie magis efficere conabaris, Qua de re etiam, atque etiam me recepi nunq̃; tuæ solicitudini, & tuis curis defuturum, neq; a promissis hactenus defeci. Nam te eruditum cuiusmodi scis sine spe, sine opibus, sine ulla suppellectile te domi suæ retinuit affinis meus existimans, si tua te merita aliquando nostro generi conciliassent, non te illi minus charum fore, quam liberos, attamen hacte nus æque nobis fuisti charissimus. Et ne nunc nostra erga te promerita, egregieque facta enumerem unum te moneo amicissime, ne tibi desis, posteaquam

ipsi

ipsi etiam si pro te aliquid fundi profundere contigerit, tibi esse subsidio decreuimus, Ad me nuper delatum, quam istic adolescentulis habenas relaxaueris. Nos quidem a te absumus, Dij tamen intersunt, & præsunt, qui me hac de re fecerunt certiorem. Id credas uelim. Adolescens qualiscunque sit, nisi cohibeatur, in præceps agitur, quoniam solo sensu, libidineque mouetur. Attende obsecro ubi es. Nimirum Venetijs, qua in urbe suapte natura mirabili Sirenæ, Harpyæ, corrupti mores, societates ĩfidæ, ludi sunt, ac quicquid pariter boni, & mali cum quadam libertate in ciuitate libera porrigendi manus quocunque libuerit. Istic panspermia sunt omnium uitiorum & uirtutum. Ad quicq; latus uenti. Quare cum in puppi sedeas, & tuis sint in manibus, gubernacula, prouidebis, ne in media fluctuũ tempestate demergas quicquid congessisti ad specimen uirtutum, & emolumentum laboris. Compescito prudenter, ne philedoni, sed philomathi fiant. Ad hæc gerenda habes præcepta Isocratis suauissimi oratoris conscripta ad Dæmonicum, uel ad Nicoclem. Vtranque orationem legas uelim græce. Sedebis enim in puppi longe instructior, & quo, & qua nauigare noueris sine naufragio, cum peruidere poteris, ne secus eueniat. Hæc scripsi non usquequaque difisus uirtuti tuæ. Iampridem periculũ feci de animo, de probitate, de modestia tua. Illud

potius

potius cogitaui me his literis ad te facturũ,ut altius in pectus descendat memoria administrandæ prouinciæ, cui præfectus & summa cnm laude, quamquàm parenti, & mihi animus sit uos reuocare Vicetiã, & deinde insequenti anno uos simul mittere Patauium, ubi Gymnasium disciplinis florentissimum, & percelebre omnium sermone, & uoce est. Tantisper da operam, ut æque tibi, ac tuo muneri satisfacias. Affinis meus ad me scripsit de omnibus rebus tuis. Commonefeci, ne desit. E mes quanti decet, non quanti bibliopolæ æstimant. Solent sæpe pluris uendere. Iusto prætio ueneunt libri summa decem coronatorum, plus profundere non licet, quã quàm persuaderem tibi emptionem istam differendã quoad Patauium proficiscare. ibi erit hæc usui magis. Verum id uti charius tibi. Literas tuas expecto de omni statu uestro. Meo nomine Egnatio, & Fausto salutem dixeris. Ego ualeo ut soleo. Fac, ut cum uestra salute, & ualetudine tu, & adolescentes animo, & disciplinis ualeatis. Vale. Bononia. M D XXVIII.

LVCILL.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicinæq; professor.

IOANNI MARIAE nepoti suo.

***

EPISTOLA est a te mihi scite, & grauiter scripta non tua tamen manu, Vereor etiã ne tuo quidem sensu. Vt cunq; macte studio, diligentiaq;, & feceris hac grauiorem. Quod describis beneuolentiam auem implumen sine rostro, & nnguibus, phasma hoc tuum animo assequi non possum. Solus œdipus sphingem in Sophoclea Tragœdia nouerat. Veruntamen experiar commentari, quid ego de benenolentia sentiam. Erras hoc cœlo nostro toto, si meam erga te beneuolentiam uolare sine plumis putas. Nudus, & perspectus tibi semper fuit meus in te animus, non nuda tamen uoluntas. Vtinam possem & amori adiungere ampla beneficia, teq; augere patrimonio, ac cumulare ample redditibus, nihil, nec tempus ullum prætermitterem in hac industria, inque te amplificando sic, ut undequaque perflueres copia rerum, & Cræsus alter uiderere

derere, ſed cum decem dotare oportuit, tuæque genitrici ſatis impendere large, nõ remanſit unde emũgere quis queat, niſi ſanquinem exugere uelit. Quocirca non beneuolentiam, ſed me implumen tuo penicillo depinxiſti, ac ſine roſtro, & unguibus, quippe cum non ſit, unde arripere, & uix reliquum ad tuendam uitam mediocriter, et ſumptum ſuppetet. Quod ſi ignoras, nunc id primum a me diſcas uelim, atque intelligas patrimonium ſatis amplum tibi ad bene uiuendum, tuaq; intereſſe iſtuc ipſum adaugere opibus, & illuſtrare uirtutibus. Interim genitor tuus & ego omnem operam nauabimus, qua cum fratre tuo poſſis non ſolum bene, uerum etiam beate uiuere. Ob id uobis magiſtrum apprime doctum adiungi curauimus, nec defuimus hactenus uobis impertiendo quicquid uſui eſſe poſſet, & ad ueſtri generis laudem pertineret. Quod ſi ſtudijs optimarum artium, & maximarum ſcientiarum animum applicueritis, perbreui ſpero, & aueo fore unde locuples gloria redundabit. Hæc de tuo beneuolentiæ commento, in quo laudo ingenium, ſed collaudare non poſſum nunc aliter, quam hoc librorum munuſculo, ꝙ qualecunque ſit, grato animo ad uos mittendum duxi, ut intelligatis quæ ſint inſtrumenta opibus cumulãdis idonea. Hæ animi opes ueræ ſunt, quarum eſt firma, & ſancta poſſeſſio nuſquam, & nunquam uobis defutura, Aliæ uero in manu fortunæ facile

perire

perire solent, aut ferre in media tempestate naufragium, Sola uirtus iacturam non patitur, nec uectigal soluit, & si parum inuidiæ subeat, cui morbo mederi poteritis, si illud Terentianum obseruaritis. Vt sine inuidia laudem inueniatis, & amicos paretis. Sed ad comparandam amicitiam, & retinendam nihil uirtute præpotentius. Amicos qui uitio parat, eodem amittit. Virtus ita animos conciliat, & iungit, ut discludere nec supremum diei fatum possit. Nam & ab obitu superest iucunda amici recordatio, & sæpe illius repetitæ laudes uigent. Quare bono animo hoc munusculum recipietis tanquã monimentum cohortationis meæ, et beneuoli erga uos animi. Reliquum latine sæpe, græce nonnunquàm tempus triueritis. Sit græca lectio mera accessio, illa uero latina pernecessaria. Vale. M D XXVIII. Bononiæ.

LVCILL.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicinæq; professor.

ALBINO LVDIMAGISTRO Brixiensi.

***
**

EGO quæ uellem, omnia tibi maxime conducere arbitror, idque nisi tibi penitus persuadeas, non est cur tua causa lõgius progrediar. Explorabis ab amicis, simulq; ab inimicis diligenter, an tuæ doctrinæ habita sit ratio. Sed nostro officio defuerunt iudices. Palma, & corona tibi per nos non deerit, sed nusquam tuta fides. Altercatio usq; ad horam prandij. Suum quisq; præferri cupiebat amicum. At uero ipse tuum, Nondum aliquid decretum, cum erit, & tu id scies, sed obsecro te, ut suscipias curam, & cogitationem dignissimam tuæ doctrinæ. Nam cum periculum facerent experirenturq; accerrime de disciplina interse illo die competitores, hic tuus familiaris exalbuit primũ, deinde metu pene percussus ne uerbũ quidem recte fecit, quasi totum illud certamen literarium somnium sibi esset,

Quare

Quare sibi præclusit aditum sperandi de hac conditione, Quo igitur modo illi proficere possim mea commendatione, cogites uelim, & quam primum rescribas, Cæterum a te postulo, quod debeo postulare maxime, ne ĩ tuis ad me epistolis elucubreris tot amici laudes. Satis enim est a te laudabili, & laudatiss. uiro semel laudari, Dum enim cumulas tot enconomia, iniuriam facis iudicio, & opinioni tuæ. Et sine laudationibus suscepissem negotium tuum, quippe qui te amo, & amore semper te prosequar, cuius etiã signa habes multa, De uigilijs meis in orationibus Demosthenis tibi assentior, Nec ante e manibus elabi permittam, quim opera castigatior in manus politorum prodeat. Non efficiam in consulto aliquid, nec confidam temeritati consilij mei. Adhibebo omne studium, curam, & diligentiam, ut lux eas potius desideret, quam euolent in uulgus sine iudice, et sententia. Romulus Amasæus, quo cum sæpe de mitioribus literis mihi sermo est uir in primis doctus, perspectus, tuique amantissimus bene sentit. Tu tamen amice facis cohortatus me ad id, quod faciendũ est, Nondum autem uidisti, quod si uidisses. consultius etiam hortatus esses. Sed uideris. Interea cogita quid de tuo amico deliberandum sit, si audacter se gesisset in eo certamine de humanioribus literis, non conquiescerem autequam omnem amicorum authoritatem profudissem, quo ille conditionem

&

& locum obtinuisset. Βελτιὼν σιωπᾶν, tibi silentium uidetur. Vale. MDXXVIII. Pridie non. Martij.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicineq; professor.

HIERONYMO FRACAstorio Veronensi Physico.

**
**

CVM ad Benaci ripam uenissem, & pridie eius diei Veronæ in hospitio belle fuissem, sociorum comitatu, & uoluntate properandi, etperueniendi Bononiā non potui tantisper morari, ut te inuiserem, quem ardebam desiderio uidere, & alloqui Ob id remittendi ardoris causa existimaui te per literas alloqui, posteaquàm nō fuit facultas istuc ad te ueniendi. Has scripsi Pischeriæ ante cœnā, dumq; Carpiones bene magni pisces frigerentur. O suaue genus piscium, O beatum lacum, sed de lau dibus huius nemo est mortalium, qui suauius te canere possit, Mitto omne aliud genus. Hoc excellentiss.

gustu & optimum alimentum etiam ægrotantibus. Magnæ nobis uoluptati fuit piscem cognoscere, & comedisse, nec non mirum, quod alibi non capitur. Est patrius piscis, & quasi gemma loci, Plus nominis, & famæ habet in reliqua Italia, quam ubi oritur. Quid Trigla apud Romanos, & Ganeones, aut nobile genus Scari? Hoc excellit omnibus, de quo aliâs, nunc alia de re nunc primum a te institutа scribendum cogitaui, quod audio abs te fabricari homocentricos, & de his procudi opus bene doctum ad explicationem eorum, quæ a mathematicis, & ab Astronomis de syderibus & horum cursu adnimauerti solent. Hæc noua, & subtiliter meditata inquiunt plane testimonia subtilissimi ingenij tui, de quo semper pollicitus sum mihi & alijs etiam his maiora, & pollicebor semper qui preclare nostri cõmenta astrologiæ confutare. Et.n. cũ Gaurico homini in his studijs præstantiss operã darem Patauij aliquot dies, ut ex eo intelligerem hæc phænomena, me ille implicuit excentricis, epicydisq;, ut uis animũ inuolutum explicarem, & adhuc tota eius commentatio perobscura, & perdificilis mihi uidetur ita, ut etiam hæreat animus in salebris, nec certi aliquid consequi potuerit. plane enim hæc putarim commenta Astrologorum, qui audent in re absolute rotunda, qua nihil nec arte, nec natura rotun-

dius, affirmare salebras, atq; eminentes, & depressas spherarum partes. Nisi sint hæc hominum cogitata mera phantasmata, non queo animo concipere quid uelint, & tamen hisce tredecim uolumina Ptolemæi Pelusiensis in editione magna redundant, in quibus omnem uim ingenij, & industriæ posuit homo Aegyptius non minus suetus fallere, quam falli, iccirco peripathetici, ac Stoici hoc genus fabulæ non admittunt, tametsi magna ars & subtilis est quæ sunt nobis perspicua, soleque illustriora posse ementitis rationibus confirmare. Vbique enim gentium si qui suspexerint attente, atque conabuntur deprehendere quæ cœlestes cursus produnt, & ostendunt mortalibus, adnimauerti queunt celeritas tarditas errantium astrorum, & cum maiora, minoraque, ac tolli, demitti, necnon antecedere, subsequi, retrocedere uidentur, ut taceam defectus Lunæ Solisque labores, quarum rerum causas cum maiores indagare experirentur, unus post Aristillum, Timocharem, Hipparcum emicuit Ptolemæus facile huius professionis princeps, qui partim aliorum, partim suis commentis exquisitius has ingeniosissime, & acutissime reddidit. Hæc nosti iampridẽ. quæ cũ sint mihi perualde suspecta, nec persuadere possum, omnio aueo, & opto inuenire scriptorem, cui

fidem præstare gestiam, Auidissime expecto tuã Homocentrica, Iam istiusmodi circumfertur per ora uirum inscriptio, Eruet sane pergrata multis, & mihi quam ualde, presertim cum Eudoxi Calippi uetus .Astranomia multũ oblectet cum suis unius centri orbibus. Vnum non sapit quod multitudo frustra orbium,et quod omnia uisa nõ declarat, neq; enumerat cælestia. Hæc audiui item a Ludouico Vitali hic Bononiæ homine in his perdiligente, & optime merito de hoc genere studiorum. Non me hercle possum ferre dogma Astronomorum de excentricis,quod tamen etiam Ludouicus defendit, si mutaret opinionem, esset mihi ualde gratum, sed huic adhæret, atque Ostrea saxo, Vix euelli poterit, quem crebro aggredior, inuado argumentis, tamen deijci de sententia non sinit. Ma uult mori cum dogmate, quàm abduci. Ego permittam etiam perire cum eo errore, ne uidear urgere insolentius. De horologio, & scioterico instrumento cum scribis, errasti in altero uerbo. Promisi, & me recepi missurum ad te hemorologion de supputanda dierum ratione, libellum sane fructuosum, cuius author Ioannes Baptista Turrius habetur, & nescio quo fato ab amico sæpe legente impetraui. qui etiam tui peramãs semper fuit homo acutus, permodestus, ac bonæ frugi. Eius nomen, quia supprimi iubet, non expsimam, Tantum scire licet, hunc ipsum de

te

te bene sentire, ob id mallet sua a te legi, & castigari in additionibus, quam à quouis altero, idq; ãtequã edatur opusculum, ne ab editione cogatur recantare, quod sapienter meo iudicio facit, si cupis subodorari hominis disciplinam, ad te illud quamprimum afferri curabo. Tu uero uelim ad me crebro scribas de uigilijs, studijsq; tuis. Equidem lætor nouis rebus, humaniter feceris, si aliquando cum amico cõmunicaueris, ut à te absente etiam aliquid discere uidear. Vale. Bononiæ. M D XXXI. Idibus Septemb.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicinæq; professor.

LAMPRIDIO DE VTRAQVE lingua meritissimo.



C*VM superioribus proximis diebus penderẽ animi expectans habere certum uuncium, qui ubi esses mihi indicaret, & quô tuto meas*

ad te literas nuncio darem, nullum reperiebam: Nisi Bembus uir officiosissimus, ut tute scis, nostrũq; amicissimus significasset, ad huc de tuo domicilio nil cõperti esse. Incertis nuncijs ad nos afferebatur te modo Mantuæ esse, modo Venet. Vt porro compertũ fuit, continuo hæc ad te cogitaui perscribi oportere, qui cum peruetus esset mihi necessitudo studiorum, & pene a primis eruditionis meæ elementis familiaris consuetudo. Et si non pauci mihi uenissent in mentem, qui negotium suscepissent, tamen nemo respondebat occasioni æque, ac tu, de cuius benignitate, & humanitate possum mihi multa polliceri, & in cuius perpetua erga me beneuolentia dudum non minimam spem consiliorum meorum posui. Atq; ingenium tuum me mouit, & naturæ tuæ ratio ad hortata est, ut id audacter a te peterem, quod amicorum causa petendum sentio, Romulus Amasæus uir cognitus, & perspectus de mea erga te obseruantia certior nuper de conditione, quam in manibus habet laudabilem, & honorificam fecit, ut ad te quàm accuratissime scriberem, Hanc si amas, & cupis, in tua præfigit potestate. Si uero apud te parum ponderis habet, effice quæso, ne tuum in aliquo collaudando uel officium diu, uel opera desideretur. Quicunq; tibi nimirum perfecti iuditij, & ueteris experientiæ probabitur, nobis erit gratissimus, atq; ad obeundum munus habitus aptior, Confidimus probi-

tati

tati, integritati, prouinciæ tuæ, in qua admiuistratione nemo par, perpauci æquales tibi extant. Quem in hac mitiorum literarum professione nobis commendaueris, huic manda, ut quamprimum ad nos euolet Bononiam, Deq; impensis, & sumptu in ipso itinere nulla sit illi cura, Erit enim uel ad obolum prouisum, uel omnino satis factum. Hoc onus *impositum est procuratori. Conditio est quotannis in summa ccc. coronatorum cum uictu eius, & serui quotidiano, atq; cubiculo, Sponderet Amasæus huic & alia commoda, Sed putat non necesse. Viderit. Quo ad officium tuum, hoc ipso sperat nobilissimo, & prudentissimo Cardinali satis se facturum, cum hic, & in omni prope* Bononiensi, *Ferrariensiq; agro nondum nactus sit idoneum, quem bonæ, politioresq; literæ aluerint, quem usus perpoliuerit, & iudicium castigarit, Itaq; ad officinam tuam concursum est, in qua forte habes quem incus procuderit, Itaq; tuæ prudentiæ id commissnm sit, solum a te petimus expediri quo primo tempore poteris & significari per literas tuas nobis. Increpuit (nescio) qui rumor apud nos de Ioanne-Bernardo Feliciano perhonorifice quidem. Vide ne recuset, & uehementer id gratum feceris nobis. Cæterum uidebor forte tibi audacior, qui tantum uigilantiæ tuæ onus constituti imponendum.*

Verum fuit necesse obsequi homini de me merito. Et tu aliquando mihi mandabis, qui mandata tua exequar diligenter. Virtus tua fecit te dignum hoc negocio, in quo inseruires amplissimi Cardinalis uoluntati, & liber esses in suscipienda conditione, si libuisset, Te ob id oratum uolo, ut æquum id facias, quod amice duxi faciendum. Etenim tute scis quàm uetus sit inter nos uel notitia, uel mutua beneuolentia, & quandiu egregiam, & mirificam doctrinam tuam magnifecerim, & suspexerim, Quapropter confido quod nuper effeci, te in bonam partem accepturum, cum sit ea lex amicorum æque sibi, atq; amico bene omnia uelle, & tibi præcipue, qui elegos uersus ad me miseris græce editos, quibus non dulcior Musa, ne quidem ex Helicone, uel Parnaso unquàm ad meas confluxit manus. Quoties ob id exosculor carmen tua Lyra dignissimum, toties animũ tuum, tuas Musas uideor exosculari, unde magnam cæpi uoluptatem, atque admirationem odæ suauissimmæ, cui nil addi censeo posse. Ecquid de disticho? Verum Italia non curabit incidi in sepulcri marmore, quod hodie perpauci græcorum dialectum norũt, & qui didicerunt non amant hoc epitaphij genus tã quam non aptum uulgo, & auræ populari; de quo sæpe cum Romulo. Reliquum quàm maxime uellem ob tuam incredibilem doctrinam, & singularem industriam tibi Dij immortales fecissent unde satis, &

ocia

ocia dediſſent ad bene philoſophandum cum muſis, ſed quoniam agellus non alit, amice hortarer, animũ ut adhiberes alicui iſtorum beatorum, qui quo tui ſimiles opibus, amore proſequerentur, abundant fortuna. Hodie uirtus nuda ſqualet, & ante fores potentum plorat miſera, & implorat ſubſidium. Quæſo fac amici conſulto tibi iter ad aliquam conditionẽ aut aperi anguſtam tibi ſemitã ad aliquamdignitatẽ, non quo affluas. Scio enim te paucis contentum, ſed potius ne deſideres quæ ad iſtam tuam philoſophiam mihi uidentur pernéceſſaria. Quid ſi Horatius ceciniſſet. O philoſophi quærite pecuniam primum? Vim profecto magnam obtinet ad uſum uiuendi, quem qui ſpernit, nullius eſt prudentiæ, ne dicam humanitatis. Et enim his diebus aut in phædro, aut in Phædone Platonis adnotaui Socraticã ecſtaſim, & illam meditationem mortis a philoſophia petendam, ad quam ſubeundã ſenex cum eſſet paratiſſimus, ſuos auditores debuit cohortari ad illud philoſophandi, uel bene moriendi genus, inquo mens a ſenſibus longe abducitur, & ſepoſita, atque diſcluſa omnino uiuit uitam diuinitus, Quoad tamen uixit Socrates cum Xantippe, non potuit mori eiuſmodi, propterea quod res familiaris ſummo eſt impedimẽto. Quare mi amiciſſime Lampridi interdum collige teipſum, introſpice in hæc tempora, & hominũ mores, tum erit tibi maxime probatum amicorum

consi-

consilium. Ego medius fidius, & ita me bène Dij ament, ut ex animo, & peramanter hæc ad te exaraui existimans consilium, si hoc indiges tibi fore utilissimum. Non possum non te amare mirifice, non admirari ingenium, non suspicere doctrinam tuam admirabilem, non salutare tuam probitatem, tua studia, & cum potui non a limine. Enitent in te, quæ non me solum, uerum etiam quoscunque, modo his sit aliquis doctrinæ, & meritorum tuorum gustus, & sensus ad amandum eliciunt inducunt, & compellunt. Ne uiuam, si a primis quasi mutuæ nostræ notitiæ cunabulis nō cœperim mirum in modum tua præstanti scientia affici, atque expressum uultus tui effigiem obseruare memoriter, atque animi imaginē tui colere, quam ingenioli mei acies inspiciebat, quibus uolo tibi persuauissimum esse id a me sine fuco uerborum, & fallacijs adulationis plurimum diligi. Postremo quod certo scio reciprocari amorem, non patiar tibi diu de discessu a Patauio meo consilium occultum esse. Reliqui illud tota in Europa celebre Gymnasium, totque lectissimos uiros non mea uoluntate, sed sociorum consuetudine, qui me penè coegissent sæpissime digladiari, & frustra tempus conterere. Non est mihi quidēbeneuola, nec proficit illa Mercurij cum Marte coniunctio, Nempe illi quies, huic rumor. Perbeati illi, qui in læua librum, & in dextra manu arma gerunt simul. Ego ingenue

fateor

fate or me non esse ex eo numero beatorum. Alterutrum aut ponere, aut deponere necesse est. Causam igitur habes discessus, quamquàm animus non discessit. Vale. M D X X X I I I. *Kalen. Octob.*

LVCILL. PHILALTH. Artium, Medicineq; professor.

EGNATIO DOCTISS.

NON patiar diu abs te requiri officium meum. Elapso die debitori præfinito iussi huic rationem inire. Subterfugiebat nebulo iste. Quoniam autem res non est magni ponderis, nisi deludi iniquo animo feras, non curaui alio agere modo, quam conueniri illum coram iudice. Citatus iccirco uenit in iudicium, & fassus est debitum nescire tamen quantum certo soluere debeat. Nisi impensæ detrahantur, non habet quid de ratiuncula certi. Antequam iccirco discederet à iudicio in summam congessimus quicquid deberet, qui quamuis minus se recipiat habuisse, tamen quoniam tu id non admodum magnifacis, sed potius

tius doles te deceptum ab homine nequam, & quoti die ludibrio pene læsum iri, simulaui, dedique numerum conuenire, modo satisfaceret. Dilationem postulabat, nec in iudicio negari potuit ob euidentē inopiam, modo soluēdo staret. Sponsorem autem uel uadem non inuenit, iccirco detrudi in carcerem iudex uoluit, ut tuæ personæ, & debito consultum esset ac nebuloni exemplo, ne dehinc aliquem, nedum tam graues personas eludat. Admodum pauper, & huic uere paupertas est onus, quam inopiam, mendicitatemq; malim appellari cum Chremilo in Pluto Aristophanæo sororem paupertatis misserimam a morte horribilem. Viuit hic in diem. Habet liberos. Domi nihil. nec pene est ubi cum filijs, & coniuge decũbat. Satis iccirco arbitror factum, ut saltem sciat, quî cum sibi fuit agendum, & meminerit decepisse uirũ, si tibi uidetur id, quamprimũ rescribi iubeas uelim, Neq; diu detineri potest in custodia. Confitetur male fecisse. Nihil habet, nisi filios, & hos libentissime impertiret alteri, quos caritas annonæ, & paupertas alere non potest. Ecquid plura, ipsa miseria est Me quidem miseret quoties audio filios ante carceris ostium ab eo petere panem. Quare oro te mirum in modum, uel me ut uoces debitorem, uel iubeas illũ tum carcere liberari, & alterutrum quamprimum. Ego etiam has dedi tabellario literas tibi statim reddendas. Interim mea quadra ille uiuet cum pueris suis.

ſuis. Cæterum diu eſt; quod ad me nihil de tuo ſtatu, de ſalute, de ſtudijs allatum eſt. Aloyſius Iuſtinopolitanus frequens auditor tui crebro de te aliquid, aut cum ſcribit, ſemper in eius literis mentionem facit, Abs te uero perraro aliquid accipio literarum, Nolim imiteris Pythagoram ſamium, qui raro Locrenſibus ſui copiam faciebat. Mos iſte obſoleuit. Et iure, quod nos non ſumus nobis nati. Eſt cum licet ſe abdere, atq; ſilere, eſt item cum ſe exhibere amicis, ſi præſentes ſint, & ſi abſentes reddere ſæpe certiores de rebus ſuis, ut communicaſſe uideamur. Quare niſi crebro curabis ad me aliquid literarum afferri, te meis laceſſam; ne noſtra conſuetudo ignauia, aut potius inertia elangueſcat. Vale. Bononia. M D XXVIII.

LVCILL.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicinæq; professor.

FRANCISCO SAVIONO legum perito.

* *
* * *

AD extremum epistolæ tuæ, quam a te proxime accepi, primum respondebo, quod in philosophos adnimauertis, quasi immemor uerbi in primo pandectarum, seu de digestis libro, capiteque de iusticia, & iure hæc obliuioni mandaueris (ni fallor) philosophiam non simulatam affectantes. Quid nam iureconsultus, & si hodie admodum barbare, & sine delectu dicendi, & uenustate sermonis Gymnasia tantam disciplinam, tamque uiuentibus ciuiliter necessariam exercent, nisi eam philosophandi partem profitfeatur, quæ ad bene, beateque uiuendi rationem pertinet? In hac qui primi elaborassent studio, diligentia, cura, philosophi appellabantur, Iupiter, Rhadamanthus, Minos, Licurgus, Solon, Pythagoras, Socrates,

Aristippus, Stoici, & septem illæ de legibus, deque moribus sectæ. In hac, quod tu te scis, & a me audisti centies dici Plato, & Aristoteles sudarunt, & reliquerunt pesteritati monimenta, Non omnia extant Aristotelæa. Non libri de iusticia quatuor, de Rep. duo De regio, & imperio duo. De Rep. Platonis libri duo, De legibus Platonis libri tres, De iustis, & se purgandi modo quatuor. Totidem legum, & uiginti octo de rerum ciuilium disciplina, quæ incuria heredum huius Philosophi facile peripatheticorũ principis rei literariæ amissa iacturam intulerunt, & detrimentum fecerunt maxime. Hæc si in tuas uenirent manus, legum peritia facile uidebere auctus, tametsi e legibus Platonis cognosces, an sit philosophiæ munus de hac doctrina disserere? Equidem tua pace dixerim quod Tullius in oratione pro L. Murena addidit istius modi. Itaq; si mihi homini uehementer ocrupato stomachum moueritis, triduo me iurisconsultum esse profitebor, sed illud asseruabo, nihil esse in istis tuis codicibus legum, quod in libris ciuilium, ethicorumq; Arestotelis, atq; in Dialogis Platonis de Rep. de legibus non ante perscriptum reperies, Macte, & tu interdum studio librorum nostræ philosophiæ, nec tam pertinax in hac uoce eris. Frigent philosophorum leges, quod sine imperij Iussu, & consule uersantur in manibus Hominum eruditorum.

Quoniam si nostræ frigent, & tue algent nisi fundamenta a nostra de moribus disciplina petãtur. At q; reuera rigent, quoties nihil conferunt uel lucri, uel usus professsoribus, id tamen commune est cum cæteris disciplinis, quæ non pariunt uel fortunam, uel gloriam, attamen sapientie septẽ Græciæ temporibus habebatur turpis, & abiecta illa professio, nec non sophistica & mechanica procul dubio, unde homo quæstum, & lucrum facere sibi proposuisset, Solum quidẽ celebrabatur illa nobilis, cui nulla stips quotannis, nullum stipendium, ne honorarium quidem, sed dumtaxat honoris & gloriæ premium fuisset constitutum, & præscriptum. Non uidebatur illis priscis beatis nobilitas posse cum munere mercennario consistere, nunc uero secius multo. Sed temporibus illis hanc floruisse opinionem si cupis scire, facile erues ex annalium uetustate, atq; ex dialogis Platonis, cum Socrates ludit sophistas, Gorgiam, Protagcram Hippiam, qui omnem posessionem in quæstum contulissent, non ergo nobilis iudicabatur disciplina, quæ sereret quæstum & meteret lucrum, nec causa nobilitatis pendet e lucro, neq; leges a nostris conscriptæ diligenter sine Deo Principe, & consilio naturæ in lucem exierunt. Hinc quanto Deus cunctis antecellit, & natura superior, tanto leges nostræ tuis præferri deberent, attamen & nostras de manibus philosophiæ tanquàm de manu Herculis

nu Herculis clauan extorquere ausi sunt nonnulli, & asserere se in iudicijs, in controuersijs, inq; omni administrandi genere, quæ ab illis gesta si tanq̃ philosophi attigerunt, & pergunt etiam, atque etiam persequi, nulla plane est, nisi de umbra controuersia, & pugna, contra si tu usq; eo scientiæ nostræ inquã rerum optimarum, & maximarum aduersari cupis, ut à disciplina ciuili separes philosophiam, crede mihi te atque malæ fidei, sineq; titulo, & iure possessorem perinde de hac tua opinione deijciendum esse, Verum non possum adduci, quin iureconsultos existimem profiteri philosophiam non simulatam, non cauillosam, non quam Gymnosophistæ, non quam qui olla, & pallio, aut qui de nebulis, & fumo philosophari uoluerunt. Horum enim mentio est in nebulis Aristophanis comici poetæ. Quare amico hortante, quo cum tibi uetus, & magna amicitia est, & qui tibi omnia studia, & officia pro nostra necessitudine debuisse confitetur, ac se præstiturum recipit desine uniuersum spernere, & partem eius laudibus extollere. Tu enim contempsisti philosophiam, & tuam legalem disciplinam extulisti, cum pars non queat aliqua illustri laude celebrari, quin & in totam redundet. Ac uide, ne tibi quis ignorantiæ famam inurat, si quidem nomen philosophiæ profitetur sapientiam, quæ sane quidem in numerũ suum omnes eruditiones, & disciplinas aggregat, iccirco illi nemo

ſcite, & prudenter maledicere poteſt, quam omnis laus occupauit, niſi conuicio maledicentis notari non cures, cum alioqui turpiſſimum ſit in Gymnaſio bo-narum artium, & maximarum ſcientiarum uerſa-ri de aliqua male merito, & precipue de philoſophia, qua nec melius, nec maius donum humano generi Dij immortales dederunt. Quæſo icoirco, ne more Tyronum, aut imperitæ multitudinis te geras, qui quo ſuam artem excellere aliįs oſtentent, cæteras ui-tuperant, Hodie & quidam minuti, plebeiq; publici profeſſores, qui potius longo uſu, ut Pſitacus Vale, aliorum uerba referre didicerunt, quam ſuo ingenio, & induſtria ueram doctrinam conſequi, incuſant, artes liberales, & damnant in Gymnasijs publicis, propterea quod ipſi ignorant, quaſi Arithmetica, Aſtronomia, Muſica ſint fabulæ, nec homine ſapiēte dignæ, attamen hos male de uirtutibus, deq; cõmuni uſu meritos publica ſtipendia alunt ſophiſtas, cauil-loſos, ineptos balbos, & barbaros nomini, profeſſio-niq; linguæ latinæ, politioribuſq; literis infenſos, de quibus non nunc plura, uenio ad legale encomium tuum, ꝙ, me ſumma uoluptate affecit, non ſolum ꝙ eſſet opus mei amãtis, eiuſq; qui a me unice diligitur uerumetiam quod uere laudas non ſatis unquàm lau-datam legum ſcientiã, in qua extollenda merito lau-dibus ad cælum uſq; tu in locos communes incidiſti argumentorum, quos neſcio, ſi dialecticen non didi-

ciſti

cisti quem admodum cumulaueris, Cognoui ob id acre ingenium tuum, & solertiam incredibilem, quamq; mihi persuadeo te dialecticum esse, & iccirco a præceptis, & institutis huius philosophiæ nõ adhorrere. Nam a principe Deo legum conditore, a natura ministra, ab imperatore, seu nuntio, a consulæ Senatu quasi promulgatore, ab usu, necessitate, commodo, & fine tot argumenta depromi curasti, quæ omnia, quia breuiter, dilucideq; comprehendisti, fecisti tu quidem gratum mihi, & sapienter, atq; eo gratius, quod nihil in epistola prætermissa illa philosophiæ uituperatione scripsisti non lectu dignum, non eleganter, non facunde, quo iure ad me bellam epistolam, & perpolitam dedisti, quam quidem perpauci iureconsulti horum temporum perfecissent, Vnum annotaui, de quo tibi nihil obligarim, neq; sentiamme debiturũ ꝙ de me admodũ philosophãte spẽ coucepisti preterq̃; quod totum despero fore, Me enim noui, & utinã pernoscerem, sed quamtum cognoui, non eum me sentio, quẽ tua gratia suo penicillo depingit. Hanc semper magni æstimaui, & tuæ humanitatis partes, Deniq; rogas cum fuerit otij a me tibi dari aliquid literarum, Vt scias, nunq̃; ocij, sed tamen aliquot bonas horas præscribo obsequijs, atq; officijs amicorũ. Hoc uetus est mihi institutum, non fraudabo consuetudinẽ meam. Vale mi amantiss. & optatiss. Sauione. MDXXVIIII. pridie. Non Feb. Bononia.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicineq; professor.

MARCO ANTONIO Flaminio.



ELEGANTISSIMAE literæ tuæ perpolita manu scriptæ animum erga me tuũ præsetulerunt, indices cogitationum tuarum & ardoris tui, quo flagras me Romæ uidere, ut crebro colloqui possemus, de quo ualde te amo, et eo plus, ꝙ mei memoriam in corde firmo incisam retines tãto a te interuallo disiuncti. Est quidem, quod non ignoras memoria facultas animi, qui incidere, sculpere, pingere, atq; infundere nouit, & in tabella cordis pingit, in marmore sculpit, in metallo incidit, ne de his artibus plura, ego sane altius mei imaginem in corde tuo duxerim sculptam, quod tam longe absentis meministi, & ab eo die, quo una fuimus Veronæ cum optimo bonarum literarum Alumno Io. Math. Giberto Episcopo Ciuitatis prudentissimo, & officiosiss. uiro, & de libro undecimo metaphysicorũ in lõ-

gum

gum produximus sermonem. Cum porro diu id euenerit, plane putabam initam illam beneuolentiæ rationem abs te obliuioni mandatam, sed cum uideam retentam, & reuocari, incitariq; rursus ad illud mutuis officijs certandi genus, nescio quid non tribuam tuæ benignitati, & humanitati. Cūq; certe prior te ad id idē allicere debuissē, nescio quā frōte possim, et qua arte inhumanitatis meæ aut tegere, aut excusare errorem, Tu uero, qui mei exemplum memoriter tandiu retinuisti, rogo obsecroq;, subuenias reo, & patrocinium utcunq; suscipias facti, ꝙ quia te facturum confido. (Non.n. solum centum stadijs es uir optimus Greciæ, ut Aristophanes aliquando in nebulis commentus est, sed plane multorum in Italia) non deprecabor ueniam, sed posthac resarciam obliuionis tempus crebrioribus uel literis ad te, uel nuncijs, modo hæc mea assiduitas tibi aliôqui semp̄ occupatis. nō afferrat fastidij, aliqd aut satietatis. Interī gaudeo tibi bene esse, & iccirco bene, quia fruere ocio literarum tuo modo, & ad satietatem, & eo magis gaudendum, quia hoc gaudes, neq; in isto theatro omnium fere populorum anhelas, nec cogitas semitam ad gradū ambitionis, nec ad cumulatiores opes, Viuis Deo opt. max. Viuis uirtutibus, et Musis in tua officina, quæ cudit et procudit semper aliquod carmē et aliquid soluta oratione præclarum. Cæterū grata est mihi uehementer memoria mei tua, quam ut con-

serues perpetuo uelim, posthac efficiam ne pro rei causa agas in iudicio & presertim pro tali causa, in qua erubescere oportet, cum officio amicitiæ desumus. Vale. Bononia Kalen. Nouemb.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicinæq; professor.

ALBINO LVDIMAGISTRO.

QVOD mihi honore tuo nihil est antiquius, non tuli amicum nostrum denuo in mediã descẽdere arenã, nec attingere illũ puluerẽ pereruditum, quem competitores noui longe doctiores superioribus calcare contendebant. Qua de re nouum dolum machinari cæptum est, ut omnis potestas diligendi ad Romulum Amasæum fuisset translata, quod ægre, & iniquo animo tulerunt consules loci, sed tamen non potuit nostrum desiderium compleri. Iccirco dubitanti mihi, ne nostrum consilium deprehenderetur, mutandum fuit. Itaq; prouisum est amico tuo alia ratione, de quo existimo per literas eius te factum certiorem, sed id item illi designatum munus est, quoad felicior occasio euenerit. Reputa

nos

nos non defuturos, atq; omnem rationem habituros honestandi amici, quo usi sumus ualde famlliariter in nostso cõtubernio. Est profecto uir optimus. & cuiusmodi mihi descripsisti, sed timet, & parum habet audaciæ. Gaudeo te esse in ea opinione apud Gõzagam Card. amplißs. qui te pro rethore urbis statuat designare. Sed gratulor multo magis ipsi optimo Cardinali, q̃ in eam curam incumbat, ut bene doctis rethoribus iuuentus in politioribus artium studijs excrceatur. Abundas tu qnidem melioribus disciplinis & flores optimis moribus cum uitæ illustri & perspecta probitate. Quibus adductus ille princeps dignißimus de te cogitauit sicut sane cogitandũ erat, proinde ad me primũ scripseris quid tibi hac de re acciderit, & si mea opera tibi aliquid in hoc negocio præstare potest, omnem me præstiturũ, atq; adhibiturum impense certo decernas uelim Sed si ocij habes aliquid, & cum habueris item uberiores literas tuas expectabo. Vale. Bononia. M D XXXIII. Tertio Idus Maij.

LVCILLI

PHILALTHAEI
Primi Tomi

LIBER SECVNDVS EPISTOLAR.

LVCILL. PHILALTH.
Artium, Medicineq; professor.

Lazaro Bonamico.



VBITO fere istinc discessu meo dolui nulla alia quidem de causa, nisi quod reliquerim collo quia tua delitiarũ mearum. Cum enim ingenii pene defessas uires ĩ ista philosophia, inq; illo mihi sumpto græca latine exprimendi onere uidissem, ad tuas doctas uoces accurrebam domum, modo tibi aliquid otij esset,

isticq;

istcq; tecum, ne etiam huius temporis mihi fieret iactura, flores legebam doctrinæ tuæ incredibilis. Disputabatur sæpe de rebus diuersis, hisq; grauissimis in omni quadripertita philosophia eatenus, ut non abhorrerent a more philosopandi nostro, in quibus quidem ea erat nobis concessa libertas hac inter nos lege constituta, ut quoties collibuisset alterutrum sustinere in aliam nobis liceret diuitiarum, & colloquiorum partem diuertere. Iccirco & tuas Musas, & tuam presertim Rethoricen tibi, quo nostræ ætatis oratore non cogitabam quicquàm diuinius, obijcere consueueram tum primas Aristoteli, tum contra Ciceroni dandas esse, ac Quintiliano notam inurendam esse addebam de illo genere declamandi, atq; cum cæpisset id consilij, oratorem uidelicet cum sua disciplina parere perfectum, hanc facere abortum coegisse, non quia oratores multi, perfecti nulli, sed quoniam dediscere uiderentur, qui eius præceptis solum stetissent, Multa ob id de Hermogenis editione, de AEschine, de Demosthene de Xenophonte, de Isocrate, de Marco Tullio summis quidem oratoribus sermo incidebat, & plerunq; de his in utranq, partem disputabatur non maledicendi causa. (Absit hæc maledicentia pedagogorum, & nescientium professio) sed potius terendi ocij causa in his, quæ nostrum præcipue oblectauissent animum

mum, & pulcherrime tractarentur ad intelligentiam cudendæ, & perpoliendæ orationis. quo in studio maxime uersabatur laborum tuorum fructus, uigiliarum perpetua laus, & famæ maiestas ad extrema pene Europæ orarum delata. Quid de illa tua de poetis Græcis censura plane illustri, quam tamen ipse, qui neq; Musis satis, neq; ingenio admodum possum asserebam de industria multis difficultatibus obstructam, & controuersijs implicitam, & cum poteram, te argumentis onerabam interdum forte ad fastidium, quo e tuo ore promerem, quæ doctis maxime probarentur. Perfacile recordor quot memoriter narrare solebas, & quæ interpretari mihi pro tua, quæ est humanitas, & modestia non grauabare. Tum attente omnia domi tuæ, quoniam non æquæ me, ac in comædia nebularum poætæ Aristophanis Socrates Strepsiadem rudem instutuit erudire, ut quoties a me percontabaris aliqua, respondebam ad rem, nec admirabar, si in Geometria saltum pulicis emetiri audebas, aut strepitum cicadæ ex ore, uel altera parte effici asserebas, & contendebas cimicibus esse intestina, aut in Astrologia Lunæ cursus circino, uel planisperio non astralabio, aut meteroscopio more Thaletis, qui delapsus in foueam suspensa dioptra carpebatur ab ancilla ostendere

conabaris

conabaris, aut ifnire supputationem in Arithmetica, aut cantorum artem profiteri, hæc ex te tanquã ex oratore cognoscebam, qui arte nouisset hæc mihi persuadere, uerum te prouocabam ad disserendum sæpe subtilius. Itaq; fruebar ea consuetudine suauissime, & obseruabam officium amicissimi interea, & doctissimi uiri non sine magna animi uoluptate, & tum maxime, cum admodum laudibus efferebam commentarios Auerhoidis, quos omnino laudari æquo animo non ferebas propter sæpe deprauatos locos atq; corruptos, quos tanq; amendis debuissent redimere in decoram, & sanam lectionem uendicantes, qui tantos progressus in eo genere philosopandi fecissent. Non enim acusabas hominis subtilitatem in disserendo, sed perfidiam in defendendo quæ alij paradoxata putabant, atq; mutilata, & corrupta in contextu authoris, necnon redundantia, parerga. Quo circa & ipse cogebatur in suis comentarijs homo Cordubensis Hispaniæ Beticæ ingeniosus nullius religionis, sed hostis nostræ natus in ea prouincia antequam christiano imperio subijceretur, & nomine istiusmodi insigneretur sæpissime pendere frustra uerba, & examinare ea, quæ nunquam Aristoteles cogitauisset, in quibus legendis qui elaborãt plane oleum, & operam perdunt. Iccirco rursus quasi ab orco instaurandos hos commentarios esse decernebas, & traducendos in conspectum eruditorũ,

quæ

quæ cum tu uere, & prudenter ſentiebas, tamen te argumentis laceſſebam, ut id etiam, atq; etiam confirmares, quod placebat iuditium, & ſententia, ceu axioma, & prolepſis maxime eruditis in philoſophia. Hoc iudicium aſſeueraui ſemper tuum fuiſſe ubique eruditorum, & plane affirmabo ſemper, quamquàm maleuoli, pertinaces hæc a me dici putant, quod Græcorum ſtudia plurimi uideor facere, & quoſdam iam auſus ſum latine conuertere, qua in opinione non uident hi ueri quicquam. Si græce norunt, in manibus ſumant diligenter loca, & uerba numerent, atq; appendant, nec non conferant cum ipſo contextu Ariſtoteleo in commentarijs huius interpretis, & plane deprehenderint ubi ſuperent uerba, ubi deficiant, quæ ille infarciat, quæ permutet, quæ transferat, quibus ſenſa delumbet, obſcuret, mutilet. Vtinã hæc uitia in eo non fuiſſent, cæteroquin ipſe laudauiſſem uiri operam perpetuo, Nec deterrere lectorem ab illius commentatione ſtatui, aut decreui his ſane uerbis, quippe cum in ea eatenus bonas horas conteram, ut obſeruem quæ bene recipienda, quæ itẽ uitanda ueniunt, quod & alios diligenter facere monerem modo inculcata uerba, externa, peregrina aboleant, antiquent, & defecta reſarciant, ementitaq; caſtigent, Verum ſunt nonnulli perperam inſtituti, atq; inducti qui cum audiunt aliqua in ſcriptore menda, totum damnent, & lectionem aſpernẽtur,

quod

quod nemini ſuaderem faciendum, qui ueræ, ſolidæq; diſciplinæ gnarus uideri uellet, aliter non fuiſſet ullus author lectitandus, nullus ſumendus in manibus, niſi alioqui diuinus, & qui nullam in labem incidere poſſet, At uero ſi homo eſt, non poteſt non abeſſe ab aliqua nota proprius. Maleuoli uel inuidia, uel maligna perſe natura eſt aliqua & interdum perpauca adnotare aduerſo ungue non autem collaudare fructuoſa, & ornamenta laborum, ſed de illo odio inueterato, & animi tabe, ac de maledicentia aliâs, nunc de meo dolore, deq; cauſa dolendi hactenus, poſt hac ratio fuit diſcedendi nationum contentio, cuius næ cauſa non libros, ſed arma in manibus cogebar continere, in quibus non ſolum impendebat uitæ diſcrimen, exilium, ſad etiam iactura temporis, quod mehercle fraudaſſem. Nam ſtudiorum cauſa, non decertandi opinione iſtuc ueneram. Itaq; ſi his conſulendum fuit, & ardori meo prouidendum, decedere, atq; digredi oportuit, in quo ſane digreſſu, & fæliciter quldem animus ab amicis, a tuis dulciſſimis, & doctiſſimis colloquijs non potuit recedere, Etiam acies ingenij mei te intuetur, tuamq; admirabilem, & perpolitam doctrinam admiratur. Etiam mentis uis non circumſcripta locis ubi eſt, tuiſq; diſſerendi congreſſibus fruitur. Etiam memoria te in ſuo ſcriniolo fidenter ſeruat, atq; ſic obtinet, ut nulla unquàm tempo-

ris diuturnitas nulla posteritatis obliuio possit eripere, Quod si tecum quo ad corporis conditionem corã de multis in uario artium genere disputare non queo familiariter pene, & diligenter, tamen id faciam per literas interdum, & cum uacat, modo & tu respondere possis non occupatus maioribus negotijs. Hunc quidem ad modum nõ permittam tuo in pectore, tuis in præcordijs igniculos me amandi tabescere, Escam subijciam ardori, ut conseruetur flamma beneuolentissimi, amantissimiq; erga me animi tui, quæ perire non potest. Et fuere qui suo acutissimo ingenio ignẽ perpetuum sine ulla extinctione, & noua, recentiq; esca tueri conati sunt. Sequar horum dogma etiam si potero, sin aliter, adhibebo escam igni, & amori tuo. Nam & Vulcanus summi ingenij faber in sua officina aculeos ferreos sagittarum cudit amori, qui aureos uiros Ispnelum, & A item coegit amorem reciprocare, ut scis in Idyllio Theocriti duodocimo, ne nunc de symposio Platonis ad te perscribam, & duodecim amoris miracula mea lyra tibi canam qui flagras amore uirtutis, & uibras illius hastas quocunq; Iandudum defixisti in corde admirationem doctrinæ tuæ, eloquentiæ, gratiæ probitatis morũ, quæ ornamenta personæ tuæ mandanda sunt sane literis non quasi solum tui monimenta, uerũetiam tanq; exempla posteris imitanda, de quibus aliâs, nunc de sorte, quæ obtigit mihi in hoc discessu hæc uelim accipias,

Est mihi cæpta cum Romulo Amasæo consuetudo utilis, & laudabilis græce, quod non ignoras, & latine doctissimo, De te persepe mentio fit honorifica. Vtrique certamus fere in teipso laudando. Quibus conie cturis adducor in eam opinionẽ, ut de te bene sentiat, Hoc decernerem tibi uideri gratissimum oportere, laudari a doctis. Spero domum huius breui fore officinam politorum ingeniorum, quæ & si hactenus fuit semper literatorum, tamen nunc quidem cum delectu eiusmodi, de quo per literas quicquid erit faciam, ut scias. Quæso mandes, si mea opera tibi usui esse contigerit, atque persuadeas rogo me neminem in te obseruando, & colendo plane ardentiorem.

Vale.

M D XXIX. duodec. Kal. Noue.

Bononia.

LVCILL. PHILALTH.
Artium, Medicineq; professor.

BOLOVACENSI IVRIS-perito, & graece latineq; doctissimo.

*****

O MI Ioannes Belouacensis uerreor, ne ueteris nostrae consuetudinis postea uidelicet quam factus sum absens, oblitus sis. Nihil adhuc a te mihi literarum datum est, nihil allatum, nec uoce alicui me salutatũ uenire iussisti. Haec sunt magna obliuionis tuae indicia, & non perpetuae beneuolentiae erga me tuae. Nisi excusas hoc tuum silentiun mea subita, & tacita istinc profectione, quate hacteuus latuerit me abiisse, Verum haec excusatio apud me parum ponderis habet, quoniam soles diuertere saepe ad domum, seu domicilium nostrum, in quo ubi me non inuenisti, facile suspicari de meo discessu poteras. Quamquàm item responderes tibi non fuisse perspectum, quô me applicuerim, Ne igitur ulla sit posthac excusatio, mecum animo constitui tibi significandũ istis meis, & mea manu scriptis

literis me Bononiæ esse, An bene sim, & cum meo commodo, ethymologia quidem nominis plane indicat. Bononia enim ut dicas bona omnia me iudice tibi tam præclara, & nobilissima ciuitas, si huc ueneris testis erit. Cœlum aliquanto subtilius, & œnotria nostra alumna uinorum hic fere plurimum exalbescit. Et ater Bacchus est magna ex parte melle dulcior, raro pungit, & austerus. Mihi nec palato, nec temperamento amica sunt dulcia uina. Annona mediocris, Honesta cum ciue, & populo consuetudo Publici professores optimi in utroque iuris, & artiū Gymnasio. Quid quæris? Dij penates cuncti bene. Raro itur ad arma, in mera libertate, ut est etiam in medio urbis uexillorū elementis inscripta, nulla præcipue data studiosis iuuenibus digladiandi. Quare fruar ocio ista discendi, & græca latine uertendi suauissime, & sine stimulo cum alio decertandi, Quare te hortor amice, & pro necessitudine studiorum, quæ inter nos intercedit, ut cogites ad nos de itinere, Quæ paulo supra ad te scripsi, clara quidem et testata sunt si porro bonitas tua, atque solertia responderit hortationi meæ, & opinioni, quam semper habui de te gaudebo, & te uenturum quamprimum ad nos expectabo. Est item mihi in animo cohortari alios amicos, & præsertim Louaniensem istiusmodi fere ad iter suscipiendum, qui ubi uelint humaniter, prudenter, amabiliter perpendere, cur hæc illis signi-

gnificentur, quisque se facilem profecto præbebit cohortationi. Ego dubio procul uestrum cuique bene euenire opto, nisi ob id uobis hanc ad nos profectionem profuturam existimarem, & belle, iocundeque fore, ne uerbum scripsissem quidem. Accedit huc, quoniam mallem uos quietam, & honorificam in Gymnasio uitam, quam solicitam, seditiosam, plenamque periculi degere, meas partes esse facile intellexi, ut per meas literas cohortatos huc uenire uos impellerem, quas tradideris legendas Louaniensi, & si nudius quintus dedi ad illum epistolam longiorem, functusque sum amici officio. Cæterum tibi penitus persuadebis me non habere amiciorem in Italia, quinetiam nusquam, & nunquam alium, quod tamen uultu tibi, ac corde, opere, diligentia reputo iandudum fuisse perspectum. Helionoram Iuuenem septuaginta annorum, & FAVstinam Luscitiosam, distortæ buccæ & barbatam quæso meo nomine dissuauiere, & complectare, En caue, ne premas complexum. Vna enim appellauit ad iudicem bis, & ter ad Principem, Erat sibi magna lis, & magnus libellus cum morbo Gallico uereor, ne adhuc sub delegato lis sit, Altera autem uix genibus flexis inuocat lignũ sanctum, & ueneratur, necnon cum nostro Fracastorio Medico, & Poeta excellen. canit.

Salue magna Deûm manibus sata semine sacro
Pulchra comis, spectata nouis uirtutibus arbos
Spes hominũ, externi decus, & noua gloria mundi.

Atque rogo, & obsecro te mirum in modum, ut semel ad cænam hanc FAVstinam accersas, cui iubebis canere hos uersus. Nihil quidem illa bucca & cantu fœstiuius, Semel præ risu. (Aderat tum etiam in prandio Petrus Aretinus homo, quẽ nosti in eo sale, & ioci genere pereruditus) sensi precordia diuelli, Quoties mihi illa imago uultus, subit in mentem, illa buccæ concinnitas, illa uox canora, illa oculorum contentio, non possum non risu perfluere, etiam cum scribebam, uix cohibere uim ridendi potui, sed ubi iocatus fueris, defiges tu omnẽ cogitationem, & mentem in ipsa ad nos profectione, Et apud nos ioci, & sales. Vale. Quinto Cal. Nouemb. Bononia.

LVCIL.

LVCILL. PHILALTH.
artium, Medicinæq; professor.

LEONICO PHILOSOPHO primario græce latineque doctissimo.



ET si existimo te aliquando incidisse in admirationem absentiæ meæ, cum te sæpe inuisere consueuerim, atq; in domo tua disputare præsertim de rebus, quæ ad philosophiam de natura pertinerent, tamen ab eo die, quo die istinc profectus sum, cæpi mecum animo constituere tibi scribendum esse, atque delendam admirationem ex animo tuo erga me gratissimo, Iandudum mearũ apud te quærelarum summam nosti. Non potuissem quicquam proficere, si in ea turba, & tumultu, quem nationes ciebant mihi manendnm statuissem. Qua-

re consulto hinc Bononiam me recepi sperans animi quiete nullam temporis iacturam me facturum, nec fraudaturum uel fatum, uel genium, qui me ad iter disciplinæ capessendæ direxit, atque in ea uoluntate semper ad id ætatis continuit. In hoc tamen discessu unum me solicitabat, & fere angebat reliquisse colloquia doctissimorum hominum, in quorum es albo scriptus fere primus, precipueque in philosophia peripathetica habitus es hac nostra ætate doctior, de qua sæpe erat inter nos sermo dum mihi mysteria, abditasque naturæ causas explicabas magnopere in commentarijs Aristotelicis tractatas, iccirco memor tuæ doctrinæ, nostræ consuetudinis, tuorum erga me meritorum ægre discedebam, a te sene optimo uitæ integerrimæ, & animi sinceri, quē ut cumulasti disciplinis rerum optimarum, & maximarum, ita perornasti, & illustrasti humanis, atque heroicis uirtutibus, quibus fama tui nominis peruagbatur, & ad oras Europæ extremas transmittitur. Vt certe hæc tua corporis in senectute pulchritudo admirabilis cernitur, ita animi candor, ac maiestas coniectura deprehenditur. Cum enim corpus (ut est in cratilo Platonis) sit quasi grecæ non soma, sed signum, plane illud etiam fatentur Platonici pulchritudinem corporis esse inditiũ eius, q̃ est in animo. itaq; enitet probitas, magnitudo, uir-

tus

tus, excellentia usque eo personæ tuæ, ut nemo non uideat, nemo non loquatur. Quid dicam de ista tua senectute, quæ uel morbus, uel grauis hominibus uideri solet. tibi autem decus, & ornamentum, & memoria anteactæ uitæ, ac studiorum tuorum longa, & diuturna recordatio? Est certe iocundum recordari se uixisse diu, sed bene uixisse, atque beate nihil felicius. Et tu ad id ætatis tuæ uixisti, & beate cumulatus quidem præclarissimis uirtutum imaginibus cum suo item meritissimo præconio. Equidē accidere nonnunquam solet optimis uiris, atque doctissimis illud, non celebrari uoce, & sermone, ac laude homiuum, sed de te, deque commentarijs tuis, de singnlari scientia rerum, & usu sermo iampridem increbruit, atque percrebrescet indies, & uberius, ac fusius in altera luce post obitum, & forum presens inuidentium. Est quidem pene insita quædam inuidia homini alienæ felicitatis presertim uiuentis, Ob id lætandum tibi est, quia in uita honores amplissimos adeptus es, & à morte præclara monimenta studiorum tuorum iam literis mandata, iam memoriæ prodita posteritatem omnium seculorum memorem continebunt dignitatis, & famæ tuæ amplissimæ. Verum de his, cum plus ocij, nunc redibo ad discessum meum cuius causam, & consilium exposui tibi uerissime, Dolori aūt meo,

De hoc supra pag. 4.

quia Lazari Bonamici, tuiq;, & Zimaræ, ac amicorum consuetudine careo sic mederi statui, ut loco uestrum delegerim Romulum Amasæum, Ludouicum Buccæ Ferreæ, alios item bonarum, & politiornm literarum alunnos, cum quibus partim in philosophia, & partim in arte dicendi, & Musis aliquot horas absumo præcipue cum eos uacuos a munere, & a negotijs queo reperire, Hic ager altius fundit, & suauissimos fructus profert. Hæc officina cudit semper aliquid nobis auditoribus egregium, Hæc consuetudo iam bonis auspicijs instituta proficit quotidie melius, de cuius prouentibus faciã te quam sæpissime certiorem, modo & tuo commodo ipse tu de omni statu, tuo, prosperaq; ualetudine, de studijs tuis officium reciproces scribendi, quando nil dulcius, & charius mihi, quam te[redacted] per literas alloqui, nec quicquàm gratius fore tibi deditissimo uni mihi fore existimabis, quam simbola, & signa animi erga me tui ad me sæpius dare, De Philoponi commentarijs & tu quæso feceris uerbum cum Louaniensi amico utriusq; nostrum, ne perire sinat me as eius generis uigilias, quas si recuperabis, feceris tu quidem mihi gratissimum, presertim si censebis edendas in lucem, Malim ego tuo stare iudicio, quã cuiusuis huius temporis uiri. Tu unus pro omnibus uideris mihi optimus censor, summi Iuditij, & plenus eruditionis, Verum in hac tua censura per-

cupio

cupio potius uere, quam blande corrigi nostra, si qua in parte deficiunt. Nam nunquàm quicquàm mihi, meoq; animo charius fore existimabis. Adhuc inintegrum est posse sane quidem perpurgari mendis, quibus æquum est, & maxime oportunum liberare tua optima censura. Nam iampridem constitui nihil in uulgus a me permitti exire nisi consulto doctissimorum hominum non recedens a precepto Platonis in libris de Rep. quando hic qnidem plane decreuerit edendū nihil antequàm iudices uiderint, & deliberarint publicandum esse, Verum perlegere omne operis uolumen tibi summo tædio quia existimo fore, satis putarim, si aliquot paginas legeris, & olfeceris quid præstiterim. Non defuit uoluntas, sed uis ingenij, & doctrinæ, proinde emetiare uelim ardorem saltem perficiendi, si non potui consequi studio, & diligentia quantum desiderat pereruditorum congressus, postremo si animus est homo utens corpore, ut est in Alcibiade Platonis, ubi animus, nimirum & homo, nulla ob id inter nos intercedit locorum intercapedo. Te amplector, te uideo, tuas doctas uoces auribus excipio, ausculto, defigo oculos in illam uenustatem oris tui, in specimen, & maiestatem disserendi, nihil tandem est, quod non uidere uidear, quoties recordor ueteris consuetudinis nostræ. & pene familiaritatis, dum ad domum tuam tanquàm ad officinam sapientiæ ego & perpolitiores iuuen-

tutis

tutis confluebamus, Floruit hæc tua officina quoad istic fueram, puto etiam florere, iccirco pene desiderio conficior ex literis tuis cognoscere quem in modũ sit frequens congressus eruditorum, atque de omni euentu rerum tuarum, Quapropter exosculabor tuas quamprimũ accepero suauissimas literas. Vale. M D X X X. De mense octobri. Bononia.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicinæq; professor.

IOANNI BAPTISTAE Opizoni Ticinensi phisico doctissimo.

PERTIMVI semper mihi suspicanti nullum esse meo morbo remedium, nunc autem non uerendum, nolim, uelim hoc dirum ægritudinis genus patienter ferre cogar. Secunda illa tua remedia, atque presentia mihi fore putabam perinde, atque scripsisti. Nihil enim de hypocundrio uere, cum etiam infestet supra, atque infra, Tum quidem oculos, buccam, aures, tum suram, fæmora, pedes. Non est in corpore denique locus præter cor, quem hic morbus non lacessiuerit iniuria, mobilissimus, & nusquam certam sibi sedem præscribens, nisi in toto

pe-

pene corpore. Illud incredibile quasi effingi pro captu loci auram, uel flatum istiusmodi, Si enim abdomen, aut uentrem obsidet, amplissimus est. Ampliorem occupat regionem, tumque me quatit mirabiliter, nisiq; resisterem præsertim cum urgeat certis Lunæ schematibus, paruo negocio deciderem, si uero alias corporis partes inuaserit calidior, gelidior fit uti loca sunt, quæ transmittit, Quapropter mihi persuasi dandam esse operam Hippocrati Medicorũ facile principi, ut inquiratur, ne sit in tanto authore locus, qui morbo istiusmodi consulat, quando quidem hactenus nihil ad molestiam tollendam contulere adhibita remedia, Tantum enim abest, ut illud ad atrũ humorem pertineat in hypocondro, ut nihil uideatur alienum magis ab hoc genere morbi, De aura illa pueri grammatici, eiusq;, qui scribendi manus assidue exercebat mentio est in libris Galeni de locis affectis, Verum inter hanc, & illam multum interest. Qui mihi sumere hieram Galeni picram persuadent, æque quidem persuadent, atque uenenum fere, aut mihi ipsi inferre manus, Nihil huic morbo horribilius, Ne quidem fert illam uulgatam seplasiorum. Qua de re Bononiæ adij Hispani Medici publice profitentis phronesim, & consilium obsecrans ut prospiciat morbo, quo cognito & perspecto ex multis pcõctationib. cæpit admirari, & asseuerauit, nisi tabescat aura, et deficiat tp̃is diuturnitate, nõ ẽe ma

gnã

gnā spē ponendā in redimenda Salute, sed prouidendum omnino, ne increbrescat, & uehementius affligat. Ab utero contractum hoc morbi genus censet; aut uitio obstetricis dum ex uterinis me separabat, & umbilicum componebat. Incuria enim eius forte commissum fuisse putabat, ut aura concluderetur, de quo decreto, & consilio nescio quid sentiam. Vnum illud mihi constat, affici male. Vnde uero, latet, & perdifficile cognitu est, atq; grauius eo, quod me hortatur studiorum prouinciam relinquere, nihilq; facere inuita Minerua. Ego uero malim omnem neruum, omnem spiritum amittere, quam abduci ab hac prouincia, aut deduci de ocio literario mihi summæ oblectationis, & infinitæ prope uoluptatis. Nam a puero me hoc Gymnasij genere assuefeci, & sciendi ardore, cuius spe quidem uiuo, & pene conficior desiderio innato disciplinas consequendi, quo item sustentor. Si quidem per id tempus, quo uersor in legendo aliquo probato authore, nihil de hoc peruerso morbo cogito, nec afficior. Quoties contra cogito, & defigo mentem in eo, tanto quidem accerbius me angit, quanto altius defigo cogitationem. Itaq; leuor potius assiduitate, legendi, quam premor. Quid tu ergo de isto morbi genere? Vbi nam librorū uel annalium offendisti tam grauem, & duram noxam? Vbi item Hipp. Galenus, AEtius, Oribasius, AEgineta? Vbi Auicenna, Auerhois, & reliqui ex

officina

officina medicorum de hoc genere monimentum reliquerunt? Quare legendis Hippocratis commentarijs dabo operam omnino, & ſi quid offendero, tecũ libentiſſime communicabo. Perraro ſimile accidit. Sed tamen deſpero ſuccurri poſſe. inueterauit nimiũ & fixit callum, atq; obduxit Quamq̃; adhuc fuit confidendum, tamen miſit altius radices ægritudo, de qua non ſcripſero plura, ſed conuertar ad ea ſtudia, quibus nunc rem Medicam illuſtrare conaris, Propediem lux expectat commentarios Galeni græcos & tuá manu, tuaq; opera correctos, Andreas Aſulanus non ſe ſolum, uerumetiam tota medicorum collegia tibi ob eas lucubrationes debere fatẽtur, quippe qui manca, mutila ſæpe loca abſoluiſti, & reformaſti tantum opus ad uſum ſalutis humanæ non mediocriter neceſſarium. Nam ſine Galeni doctrina mortalium nemo rite, recteq; mederi, artemq; excellentem, & diuinam profiteri poteſt, quod quia perſpectum, non experiar id probare diligentius Erit & tempus, atq; occaſio, & locus aptior ad hæc confirmanda. Ceterũ hæc ſcripſi ante lucem, quod bene mane amicus meus hinc diſceſſurus erat, atq; quicquid poſſum, tibi tuæq; humanitati polliceor, & trado. Vale. Bononia. MDXXXI. tertio idus April.

LVCIL.

LVCILL. PHILALTH, artium, Medicineq; professor.

PETRO BEMBO ORNAtissimo uiro.

*

HVI quamdiu silet nostra consuetudo mutuo scribendi? Cum ad uillam fundi Patauini tuam uenissem confecto sermone de re literaria, deque eius ætatis politioribus hominibus rediturus Patauium tuis uerbis admonitus fui, ut sæpe aliquid ad te literarum darem etiam de rebus minimis, ne intermitteretur illud amicitiæ perueteris inter nos officium. Respondi tum tibi more gerendum, & obsequendum esse. Verum habita personæ ratione de grauioribus esse scribendum dixi. Quanquam mea pusilla, & leuia semper mihi uideri solēt, tua tamen grauissima, & lectissima existimantur, quandoquidem de pectore tuo non queas nisi magna, & admirabilia promere. Mirificam autem mihi in ipso discedendi momento hoc uerbo dedisti uoluptatē, me uelle memorem esse eius, a quo amarer

unice

anice. Dulce quidem uerbum amoris, ubi cor consentiat. Cum Homero, Porticuque Stoicorum Chrysippi. Zenonis, & Peripathetico cuncta in corde loco, nec rationem in capite, iram subter præcordia, & in corde, cupiditatem uero in Iocinere separo. Cor domicilium summum facultatum, in quo incidi altius monimentum uirtutum tuarum, tuorumque erga me meritorum, in quod quoties intueor, quod sæpe facio quidem, non possum non esse & tui memor, & tui studiosus, & maxime cum in te perspicio unde omnino, & semper ab omnibus probis, eruditisq; diligi debes. Non percurram nunc tuas laudes, tua promerita. Cui enim tu amicus, huic semper sincere, cui faues, omnino fauorem sentiat studes, De quo bene, & honorifice, de eodem uere sentis. Integre, ingenue, libere, & pro uiribus tuis omnia. Quare te amo plurimum, & obseruo maxime, nec deficiam in obseruando homine, qui me plurimi semper fecit, utque spero facturus est. Ex omnibus enim rebus, quas mihi colere, & admirari delegi hisce presertim temporibus nulla est tam sancta, tam insignis, quam uirtus tua, Existimes ob id uelim a me amari uerissime. Vtinam mihi tantum facultatis esset exprimendi quo flagrem ardore uirtutum tuarum. Nam id tibi fuisset euidentissimum, Quoniam non possum, aut nescio uerbis id consequi, fac iccirco tu tibi uerba, qui cecinisti mirabiliter

sæpe

ſæpe regnum amoris cum latine, tum etiam uernaculo uerbo, tametſi uaria ſit amoris natura, nec unus & idem amor ſit uenus, & amicitia, nec idem uirtutis, & pulchritudinis corporatæ deſiderium, uel cupido. quippe cum hæc fluxa res ſit. Virtus perſe æterna, beataq; habetur. Verum de utroq; amoris genere in conuiuio platonis, nunc diu eſt, quod ego Petri Bembi ornamenta colo, diligo omniq; honore, obſeruantia proſequor, cuius ut tu indies auges cauſam, ita ipſe etiam, atq; etiam obſeruo arctius, & diligentius te uirum omni laude cumulatiſſimum. Ec quem uirum? Quem inquam Indus, & Atlas minor, & maior norunt, Lucent iamubiq; gentium ampliſſimæ uirtutes tuæ. Nemo mortalium has non ſuſpicit, non colit, de quibus hactenus. Reliquum increbuit unde neſcio rumor te paucis poſt diebus Romam reuerſurum, quod ſi cogitas, quæſo ſignifices mihi. Cupio te nobiſcum hic Bononiæ eſſe. Veruntamen non poſſum adduci, ut de Roma cogites, quoniam uulgi fama expectat ſummum Pontificem, & Ceſarem uenturum utrunq; Bononiam, quo de aduentu legi epiſtolam grandem, quam ſcripſit proxime his diebus Farneſius Cardin. ad Pyrrum Maluicium mei amiciſſimum, & ciuem primarium. Quo circa te Bononiæ fore ſperamus qui profitemur politiorum literarum genus, de Corona, & triumpho Caroli quinti Hiſpaniarum Regis Imperatorio non

ſcribam,

scribam, nisi quod uulgatissimum est. Celebrabitur Bononiæ. Quotidie increbrescit sermo hac de re. Quæ digna historia tua erit descripta magnopere. Hæc scripsi tamen si certo scìueram hæc tibi præclara. Et scripsi ieiune, incondite. Iccirco ne nauseam tuo delicato stomacho moueant perualde uereor. Quapropter peto a te rescindi has meas literas & quascunq; quas posthac ad te pferri curabo, cum e manu huius adolescentis ætatis nihil promi queat perpoliti, aut bene iudicati. Exemplar tamen seruabo domi, & custodiam quoad perpoliam rude ingenium meum & stilum ornabo uirtute, & maiestate scribendi. Id plurimum ualiturum spero ad proficiendum quotidie magis. Non enim iudicium sine usu perfici potest, nec eruditi ingenium sine arte, neque doceri sine studio, & uigilijs, Vt enim ab unguiculis, & cunabulis infans assuescit cibo uiuere altricis quoad dentes miserit, ita animus in primis nudus disciplina gradatim conscendit, & meliora capessit. Non enim corpori illabitur animus eruditus, & doctus, iandiu explosa est illa Pindari cantilena, qui cecinit nihil aliud esse disciplinam, quam reminisci rerum, quas animus obliuioni mandauit delapsus in corpus, quod dogma in Memnone Platonis recitatur, & habetur ob id Platonicum contra quã uidelicet in Philebo de summo bono, & in Timæo de natura, quibus in locis origo disciplinæ noua in

animis traditur. Qua de controuersia cum philosophis disserendum est, nunc uero tecum familiariter, & amice agam, ingenueq; fatebor commentum merum de disciplina, quæ memoria, & recordatione recuperetur, Ratio nostra expers omnis eruditionis ita nobis principio indita est a natura, ut inter infantem, & belluam parum intersit, Quinimo solertior, & firmior interdum procreatur belluæ conditio: Itaq; studio, cura, diligentia perdiscenda est ars dicendi, & scribendi ornate, & eleganter, Hinc quotidie studeo limare orationem, & numerose scribere tā græcæ; quam latine diligentissime, De tua porro lima cupio scire, Equidem imitari non desisterem, si modum limandi orationē indicaueris, hoc tibi debebo semper, tibiq; uni referam acceptum. Nam præcepta artis oratoriæ quotidie in manibus habeo, nec unquam depono, nisi cum uersor in libris garriētium philosophorum, qui male suum principem sequi uidētur, cum enim sumunt in manibus Dialecticen, & Rethoricen, ex utraque quidem arte omnem exactam dicendi rationem cognoscere possunt, Quinetiam obseruare illam cum platonicæ, tum Aristotelicæ orationis maiestatem, At uero quo ineptius & impolitius scribunt, et loquuntur, eo arbitrantur hoc seculo uideri doctiores, Insigne, & notabile uitium, de quo alias, nunc quo tibi sit perspecta ratio studiorum meorum, & mihi consilium afferre possis in hoc

meo

meo progressu ante meridianũ tempus omne cõsumo in Dialectica, et Rethorica simul. hucq; refero Hermogenem. Aristotelem Dialogos Platonis, ubi maxime disputatio est de his liberalibus studijs, atq; opera ciceronis addo, mox admoueo philosophiæ manũ, si tempus est mihi ante prandium concessum, a quo totum illud pomeridianum partior in perlegendis Medicinæ libris, et authoribus, quos probatos habet cum uero uacat Gymnasium a publico munere profitendi hos dies poetis græcis tam comediæ, quam tragediæ Aristophani, Sophocli, Euripidi, atq; Hesiodo Homero, Pindaro, latinisque operam nauo, Sed confero latinos cum Grecis, Hosq; lego a prandio. ante uero, oratores, quos scis, De quibus ad te memini scriptum. Rescribi placuit, ut ex tuo sensu educerem quid ad hunc meũ ardorẽ adiumento esse posset. Gratissimũ feceris, et nulla unq̃ obliuione delendum, si me iuueris, & dũ per anfractus, et inuia loca erro, me reduxeris ad cõpendiũ, confido intelligẽtiæ tuæ, iudicio, & cõsilio, quoniã te ars docuit, imitatio auxit, usus perfecit in hoc genere scriptionũ. Quod si audacter id cõtẽdo a te cõsequi, haud tibi mirũ. Et .n uetustas amicitiæ, et tua sũma erga me beneuolẽtia iam a pueritia pene pspecta dedit audere mihi, sicut tua doctrina limatissima, et ppolita fecit, ut ad tuũ consiliũ confugerẽ, cæterum suppudet te pluribus obsecrare, Mea enim in te fides uetat id impetrare multis. Ex-

pecto responsum, Idq́; tuo commodo conscripseris. Non urgeo, si occupatus es grauioribus, De tua ualetudine, deq; studijs tuis aueo maxime nuncium, uel literas tuas. Vale. MDXXVIII. Kalen. Octob.

LVCILL. PHILALTH, artium, Medicinęq́; professor.

BERNARDO FELICIANO.

NIMIS *prudenter instituisti domum tuam officinam bonarum, & politiorum literarũ. Non enim ludum aperuisti pueris, & pedagogis. sed uelut Gymnasium his, qui optimarum artium, & maximarum scientiarum elementa, & mysteria cognoscere cupiunt. Et boni, nec non suis temporibus summi oratores, Gorgias Leontinus, Protagoras Abderites, Hippias, Isocrates sua domicilia constituerunt tanquàm scholas his, qui artis oratoriæ præcepta perdiscere uellent, de hoc tuo instituto nuper mihi nunciatum est, & de congressu nobilium, atq; de frequenti iuuentute erudita maxime, quod laudarim, sed uideo non necesse, il-*

lup

lud potius cohortandum intelligo ut quia auspicatissima fundamenta iecisti honorifici instituti, pergas id perficere, & tueri perfectum. Nuncio sane tibi id fore ad perpetuum encomium, & gloriam operũ tuorum, Quid nam homini sapienti uel melius, uel gloriosius euenire potest, quam homines Dijs similes reddere? Nam in fabricanda humani corperis mole Deus animum fingit, & format sui similem, natura uero corporis menbra conficit, attamen animus imago Dei sola quadam sibi indita facultate preditus discendi magistrum desiderat, qui facultatem illam perficiat & cõpleat. Iccirco magnum munus est, & nobilis prouincia animos reformare, alere, educare, & quam simillimos Deorum efficere. Quod si animus bene doctus a Deo nobis tribueretur, non desideraretur quidem opera sapientis. At uero procreatur cuiusmodi possit informari disciplina rerum, quarum mysteria, & abditas causas meras indagare conatur, uerum uide quo nempe modo tecum per literas philosophari decreuerim, quippe cum stoicorũ, & ueteris Academiæ tum hæc tum illa amplecti dogmata uideare Vnum est nulli obscurum Humano generi corpus proceræ staturæ, ut contemplator, indagator esset rerum cælestium, homo atq; causarũ, quæ maxime abditæ, & abstrusæ essent. Aptum porro natura effinxit corpus animo, quem circundedit sensibus tamquàm nuncijs, unde rerum cognitio-

nem acciperet, Auditus is ſenſus eſt uocis, & ſermonis, qui magiſtri maxime indit in animo ſciētiam, preſertim ſi indoles bona adiumento fuerit. Vnde & bene, beate uiuendi primordia affert. Dij aūt, & parentes ſolum uitā conferunt noſtro generi. Quinetiam e morte, hoc eſt ex ipſa cecitate mentis ad uitā reuocat. Quid ignarus niſi mortis imago? Quid rudis, niſi picta, aut inciſa effigies in marmore? Quid ignorantia, niſi mors animi? Quare bene illi ſolent diſputare, an plus parentibus, uel magiſtris debeamus Et cum rationes afferri ſoleant in utranq; partem, non poſſum ego cohibere aſſenſum, quin protinus magiſtris plus deberi affirmem. Magnum quidem eſſe, & uiuere, Et hæc genus ferarum habet. Magnū ſalute frui, & ſuis muneribus optime fungi, ſed tot etiam rationis expertia obtinent animalia. Nam multa robore, ceu Elephas, Leo hominem ſuperant, multa ſenſibus, multa actionibus uitæ humano generi antecellunt, quæ omnia exiſtimantur in cæteris uiliora, quod rationi, & menti minime iuncta ſunt. Ratio ſola hominem efficit, Mens ſola hunc diuinum reddit, ingenium refertum artibus, & diſciplinis hoc ſolum hominem ab homine dirimit, et glorioſū perq; beatum facit, quare te aperuiſſe officinam eiuſmodi gaudeo, in qua nobiliſſimam iuuentutem cum græce, tum latine inſtitues, & exercebis Iſocratico modo, & more, ut uel hiſtoriam condere. uel perorare, uel

philoſo-

philosophiam interpretari, & leges noscat arte adhibita, & stilo maxime perornato. Et certe non officinam modo, uerumetiam Theatrum aperuisti spectatoribus uirtutum tuarum. Nunc in conspectu erunt, quæ recondita uidebantur. Nunc ingenium fælix tuum ad omnium adipiscendarum disciplinarũ momenta apparebit in uulgus, Nunc scientia, nunc iudicium nunc usus, nunc magistra omnium illa tua docendi uel facilitas, uel modestia singularis prodibit in lucem, Quapropter tibi persuadeas te peruelim fore in docendo oratore alterum Roscium, in erudiendo philosopho Socratem, in constituendo historiographo magistrum, et antistitẽ. Mitto septem liberalium artium studia, quibus plane es ornatus omnibus, Reliquũ, quia tabellarius instat, auguror tibi bene euenturum cum summa laude, & emolumento hoc susceptum munus, & onus de quo, & de statu tuo ad me scribas, ut primum poteris, obsecro. Vale. M. D. XXXI. quarto idus April. Bononiæ.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicinæq; professor.

LEONICO PHILOSOPHO doctissimo.

DEDI ad te tabellario literas forte longiores, quam expectabas, quod quidem ex tuis amice, & comiter scriptis facile intellexi, in quibus tu paucis, & compendio pene multa perstrinxisti prudenter, Hoc autem efficere nescio nondum singulari tua doctrina preditus, & perbeatus, cuius si aliquam partem studio & solicitudine consequi potuissem, perbreui multa, & magna ad te exararem. Nunc ignosce si mearum uerbis redundat, aut non atticissat contextus epistolarum, Nondum enim didici paria uerba sententijs redddere, atq; àppendere momenta sermonis. Hoc est proprium homini, quem diuturna poliuit, & limauit professio. Illud sceuolæ sapienter dictum, neminem mori posse antequàm sit natus, Necesse primum nasci, & adolescere quoad ætas floreat, moxq; senescere, & demum occidere uix ingressus sum hactenus ad funda-

menta

menta artis, uix primoribus cæpi labris deguſtare modũ, & formam ſcribendi, Quare apte ſcribere, & breuiter, ac dilucide nondum meum eſt, nondumq; mihi cogitanti ſummo ſtudio, & impenſe totos dies in hoc exercitij genere conſumere permiſſum eſt Dabo operam, ſi Dij uoluerint tamen diligenter, ut quotidie magis proficiam. Interim cupienti, & optanti mihi ob uarias, & interſe diſſidentes interpretum commentationes ex te cognoſcere quo pertineat exordium libri auſcultatorij Ariſtotelici, & quibus contineatur. reſpondeas uelim. Non enim dubito quin docilem reddat lectorem, ſuum dum patefacit conſilium de primordijs rerum, quæ generatim expoſiturus eſt quot, & qualia ſint, atq; beneuolum, cum duplicem aperit uiam, & monſtrat cum imbecillis ingenij noſtri ex notioribus nobis unam, tum alteram ex euidentioribus intelligentiæ perfectæ humani generis, & deniq; attentum ordine præfinito progrediendi ab uniuerſis, communibusq; ad ſingula. Sed illud controuerſiæ plenum de uniuerſis quæ ſint & nunquid hæc nobis, aut naturæ notiora uideri debeant. Nam ſi e media illa turba interpretum promere quid ſentiendum ſit uoluerimus, non uerendum, quin uniuerſa notiora nobis dicantur, & magis confuſa, atq; communia, uerum ſi oculos conuerteris ad ſeriem lectionis Ariſtotelicæ, ordo alter apparebit, Nam a notioribus naturæ orditur primus

mus ſane liber, ſi quidẽ inſtituit primũ ſcriptioni mã dare prima initia rerũ, materiã communiſſimam, & formam utranq; notiſſimam naturæ, & nobis abſtruſam, Quare ſi ab uniuerſis auſpicandum eſt uſque ad ſingula, & hæc uniuerſa unde author ingreſſus eſt tradere fundamenta rerum ſunt naturæ, & non nobis præclara, proculdubio concluſiuncula ſequitur, ut hæc uniuerſa naturæ, non nobis ſint notiora, aut ordo mentiatur lectionis, Qua de controuerſia ſi quid habes, quæſo ad me breuiter ſcribas. Nec te celabo quid conſueueram in ſedanda illa referre. Equidem mecum animo cogitabam alium eſſe ordinem tenendum in his explicandis quot uidelicet & quæ eſſent initia rerum, atque alium in tractanda rerum phyſicarum diſciplina. Si quidem ad exploranda principia ex uniuerſis, hoc eſt ex confuſe acceptis, quæ partim diuiſione, partim conſenſu, in ductione aſſumuntur. iter facere oportuit, ſed in percipienda rerum naturalium ſcientia neceſſe illud fuit, imitari ſcilicet naturam, a cuius notioribus ſummendum fuit initium, cuiuſmodi primus liber facit hiſtoriæ naturalis ingreſſus iacere materiam primam, & formam, nec non priuationem certe primordia rerum omnium phyſicarum, Quapropter in perquirendis initijs rerum a nobis clarioribus ordiendum, hiſque confuſe notis, ſed in condenda reliqua hiſtoria rerum maxi-

marum

marum amplectenda fuit series naturæ genitricis, & cuiusmodi in procreando illa tenet ordinem, ita magistro Aristoteli omninm doctissime uidebatur consentaneũ historiam scribere. Illa a primis ordi-tur ortum, hic historiam. Quid quæris? Nihilo sane plus, si hæc fuit mens exordij. An uero fuerit, tuam desidero censuram, modo me, & quid uelim capias. Suspicor non percipi, propterea quod explanare luculentius, & breuiter ignoro. Certo scio sentire me cum Alexandro Aphrodiseo post omnes natos Aristotelis interpretes nulli secundo. Vtinam abstinuisset leuioribus interpretationibus, profecto nos liberasset hac molestia, quippe qui plures eiusdem orationis edidit, inter quas hanc delegi, quoad potui emetiri progressum authoris. Quod si tu melius, & acutius sentis, rogo ne grauere nobis significare sententiam tuam, de qua te amabo etiam, atque etiam ualde, quinetiam conciliabis tibi sodales meos, qui id scire percupiunt. Authoritas enim personæ tuæ, atque tua illustris doctrina monumentis literarijs dudum expressa nos commouit, ut abs te id posceremus, & mirandum in modum peteremus non diutius pati, quin nobis gratum facias, debebunt hoc tibi maxime amici. Hæc fere habui, quæ te scire uolui nostro æuo omniũ philosophorum præstantissimum, atq; eruditorũ

suffragijs

Suffragijs omnibus primarium, nec ob id cogo respõderi, nisi placuerir tibi, quamquàm huius exordij intelligendi spem in tua doctrina, & humanitate positam habeamus, Postremo de commentarijs Philoponi latine factis uehementer dubito, ne Louaniensis sodalis, & amicus meus eosdem aliô transtulerit, commentarios quidem nunc accipio, qui in libros de posteriori resolutione latine conuersi sunt non adhuc omnino accurate nec admussim. Desiderãtur multa, & quædam petunt castigari, iccirco ne c in alienas manus deuenire, nec in lucem proferri uellem. Cum tuo commodo quæso feceris cum illo de his uerbum. Scis enim quid hoc seculum politorum probat, uel improbat. Si porro illud opus amisit, spero tua cura redemptum iri. Vale. MDXXXIII. Vndecimo Kalen. Martij Bono.

LVCILL. PHILALTH.
Artium, Medicinęq; professor.

LAZARO BONAMICO Doctissimo.

SI quando tuam perspexi modestiam, & tuam singularem prudenciam, nuper maxime in his literis, quas Perinello tui, ac mei studiosissimo, & peramanti ad me dedisti cnm graueis, elegante-isq; tum precipue te dignas. Dum enim hic adornaret iter Bononiam, literas tuas accepit istuc ad me perferendas, Et enim una de causa, qua & ipse impulsus iter ad hoc Bononiense Gymnasium constituit, iccirco facile est cognoscere quid nos a tuo commertio, uel potius suauissima consuetudine auocet, de quo abunde superioribus literis scripsi, nunc ob id de modestia tua omni foro, & seculo laudabili non possum reticere quæ in mente mihi pariunt admirationem, primum excellentem doctrinam tuam fama, & sermone multorum prouectam etiam ad exteras nationes, non assiduis laboribus, & lucubrationibus tuis, sed Deo optimo, & præpotenti tribui cupis unde omne donum, & bene datum ad nos proficisci asse-

asseueras tu quidem non solum cum Christi seruatoris nostri apostolo, uerumetiam cum Timeo Locrensi pythagorico in ea nobili, & permagna de natura disputatione cum dona ille a Dijs præberi nobis, & præcipue unum philosophandi, quo nec melius, nec maius dari posse docuit attamen (mi Lazare sapientissime) dum in omnibus quæ ad bene, beateque uiuendi rationem pertinent bon atem immensam Dei agnoscimus, etiam quid, & quantum in nobis sit emetiri debemus. Nos primum nati ad libertatem qua ob culpam nostri generis amissa deinde gratia Dei ad pristinam reuocati, atque redempti habemus nonnihil in nobis uel uituperandum, uel collaudandum, si nostrum est uel adduci, uel abduci, aut recusare, aut admittere, Nam & Mundi ornamento quod spectabile est, & aperienti oculos, atque suspicienti contemplationem referri acceptam debemus, nisi tu porro indole, ingenio, studio, diligentia, assidua commentatione contendisses preclaram, & admirabilem rerum optimarum disciplinam consequi, nõ perbreui adeptus fuisses hanc famam doctrinæ, hoc nomen excellentissimi uiri, quale tibi indidit perpetuus in capescendis artibus, & disciplinis labor, & cura Enumera singulas ætates tuas, quarum tibi sit memoria pene recens, nulla quidem tibi succurret in mentem non plena laborum, & uigiliarum, ut mea

semper

semper oppressa molestijs. Quam primum ingressus bonis auspicijs es prima rudimenta linguæ latinæ audire a præceptoribus diligenter præter indolem aptam ad maiora studia assidue his dedisti operam, & eiusmodi, ut in ea teneri ætate nunquã de manibus bonorum scriptorum libros deponeres. Totos dies uersabaris in schola, & ocio literario. Raro feriæ tibi, & nunquam intermissio studiorum, iccirco breui magna ingenij subtilitate ad dialecticem, artem uidelicet de omni re in utranque partem disserendi, & ad græcas literas te contulisti, in quibus, & in omni philosophia, oratoriaque arte profecisti mirabiliter, atque sic, ut cuncti industriam, & diligentiam admirarentur. Hæc tua, & Dei sunt opera, ego uero laudare soleo quæ ad te attinent non ignarus ab hac summa bonitate cuncta promi, & ad nos manare diuinitus, sunt sane nobis opera quæ Deus tradidit, ut nostra essent, atque ex his illustraremur, quæ existimo laudanda tanquam hominis ornamenta, quæ & si a Deo, a quo nimirum omnia proficiscuntur, tamen cætera nostra, quia nos ornant, & illustrant & a nobis asseruantur, & coluntur magnopere, Quare bene quidem facis, ut occurras arrogãtiæ, elatæq; menti cuncta tribuẽs Deo, non autem recte omnino, si non agnoscis & tuis meritis deberi aliquam laudem, & palmam.

Hæc

Hæc de tua modestia, reliquum de singulari prudētia tua, quando quidem me hortaris ad peragenda, quæ cæpi iandiu non sine tuo consilio, & iudicio. Hortatio tua amica, atq; amantissima est, & in me exhortando facis amice, & quanti me facias plane ostendis. Ob id insigni probitati tuæ, & integritati debeo multum, fateborq; quoaduiuam me debiturum. Verum non te fugit quàm perdificile sit in tanta obscuritate rerum, inq; recondita arte disserendi uersari omnino latine, eoq; magis, quod non sueta sunt latinitate gymnasia. Ac dialectica quædam habet propria uocabula, quæ si mutaueris, nulli profitenti dialecticē perspecta erunt. In commentarijs enimde priori resolutione nisi uerbis usu receptis sententiam expresseris, nemini latina erit probata conuersio. Nosti quam multa usu trita iandiu, quæ latine dici non possunt, immo aliter latine proferri solent. Grecæ protasis uertitur propositio, quæ certa oratio est ueri uel falsi index, & nuntia, attamen apud probatum oratorem, qui latine sciat propositio significat quicquid proponitur ad dicendum, & tractandum, uox ergo admodum ambigit, usus tamen potuit sic, uti nemo queat, si cupit intelligi, aliter uertere. Quid item de sillogismo, quæ uox græca iam usu magistro pro latina habetur. Enitere tu hanc uocem reddere latine siue conclusam compræhensam uoces rationem, nihil uidebere

bere reddidiſſe, quod probetur a ſchola, & collaudetur omnino, perge adhuc latine facere,

,de omni,uel nullo, Et ne ſexcentas uoces græcas enumerem, quæ minime latine dici queunt dabis tu mihi hanc ueniam,ſi huic dialecticorum foro uerba commodauerim non ſolum in his commentarijs,ſed etiam in reliquis huiuſce abſtruſæ,abditæq; artis, in qua ſudaſti tu etiam diu,& cuius ope cæteris oratoribus habitus es hoc ſeculo doctior. Coegit pene pariter me, & philoſophiæ certa ratio, & formula dicendi, a qua non poſſum abhorrere in his præcipue conuertendis, quæ non alio,quã uſitate loquendi modo conuertere potui,non dixerim omnia, ſed duntaxat quæcunque uidebam non poſſe dilucide exprimi ad uſum ſcholæ. Quo in genere permulta paſſim occurrent, nec tibi non ſæpius notata forte. Qui proinde admonent, & cupiunt latine ubique dici, quid cupiant plane ignorant,æque oſtendunt neſcire abunde res phyſicas ab Ariſtotile magnopere tractatas. Vere mihi illud uideor eſſe dicturus, nec Ciceronem potuiſſe omnia uerbis aptis, & ſuis græca in latina conuertere. Quoties in Academicis, & in libris aut de finibus bonorum, aut de officijs, deque natura deorum,& alibi attendo quædam ab illo latine conuerſa pene deſpero fore cum id fecero. Legant uiri docti quæ ille interdum latina fecit, & uiderint,an immenſum, infinitumque onus

ſumat is, qui omnem philoſophiam græcam uerbis latinis illuſtrare promittit. Ego uero tantum oneris non imponam unquã homini etiam ocio, ſtudioq;, ac doctrina facultateque oratoria abundanti certo ſciens a nullo id prudenter ſuſcipi, et præſtari poſſe, quod ſi effici poſſe tu cogitas, plane cernis, quantum cognoſcere, ac ſentire nequeo. niſi mea ætas nõdum ea, quæ tua uiderit. Verum ſi multa complecti cæpero, & enumeraro, proculdubio his latina pariter non reperies reſpondentia. Sed ſatius eſt nunc ſupprimere, ne mea nunc diſputatio altius emergat, & terminos epiſtolæ tranſiliat, quando ipſe quidemetiã mecum animo conſtitui conſcribere opuſculum de modo conuertendi græca latine, quem & ſi Tullius parens eloquentiæ, & dicendi magiſter omnium doctorum conſenſu primarius ad extremum libri de optimo genere oratorum attigit, tamen admodum conciſim id fecit, iccirco non complectar in hac mea ad te epiſtola amplius, quam quæ ueteri noſtræ amicitiæ congruunt, & ſemper congruere uoluiſti, Nũciatũ eſt nuper mihi te uelle publice inſequenti anno orationes Demoſthenis græcas profiteri, Vtinã intereſſe mihi datum, uel conceſſũ eſſet, nõ periret quidẽ dies ſine me auditore, qui experiundi cauſa tres olinthiacas, quatuor philippicas, unamq; de pace, alterã itẽ de immunitatibus Rhodienſiũ, nec non de emẽtita legatione ĩ AEſchimẽ cõuerti more, et modo, quo sẽ

ſus

ſus dilucide pſonẽt, et ſi ſæpe uerba conticeſcunt. Verũ ſi qua ars eſt, et facultas oratoris, quoniã quidẽ eſt ac per ſe magna, atq; diuina. hæc tota elucet in ea, nẽpe oratione, cui eſt de ementita legatione. Nomẽ Genus habet iudicale, omne quidẽ uerſatur ĩ accuſatione AEſchinis, et defẽſione amicorũ ac Oratoris. Sed accuſatio plus ualet, & ualuit nimirum damnato AEſchine, Nõ probarim quod ignari contendũt, eã uidelicet in genere deliberatiuo habitã, ſed eadẽ cõtineri quæcũq; arte, et induſtria oratoria, nec non et q̃ ſine arte præmeditata ultro ſeſe offerunt, atechna ab Ariſtotele sũmo dicendi magiſtro in primo libro Rethoricæ ad Theolectẽ uocata ſapienter, Nã quatuor de AEſchine accuſaturus Domoſthenes, primũ quod a Philippi legatione reuerſus ad patriã nihil ueri retulit, dein quod pſuaſit Reip. et populo Atheniẽſi, nihil ad uſũ niſi Philippi pſuaſsũ eſſe cõtẽdiſſe. mox mãdata ægre, et cũctãter feciſſe, demũ neglecta tẽporũ occaſione a Philippo largitionibus, et pecunia grandi corruptũ fuiſſe quibus cõuictũ a iudicibus illũ petit extremo ſupplicio cõdẽnari, nihil omittit. Oratio igitur huiuſmodi ſic mihi ſemp uiſa eſt facta diuinitus, ut poſt natos oratores nihil ea cogitare poſſim diuinius. Huic accedit illa de corona, quam Cicero ſe latinã feciſſe affirmat. Hæc certe magna eſt ſed paulo dicta inferior. Verum dabitur quandoque tempus conferendi aptius, nunc deſiderio conficior

prope te audiendi, Attentissime quidem præberem aures tuis uocibus, & doctrinæ nunquam satis laudatæ, mei proinde loco habebis nepotẽ natum in oppido patriæ tuæ, quod Bassanum uocant ex germana primario nupta, qui græce, & latine scire optat. si istuc te adiuerit, fac quæso, ne tuam gratiam, & operam desideret. Debes tu in hoc magistratu, & munere quidem omnibus, sed inprimis patriæ tuæ, atq; amicis, qui te plurimum diligunt, & obseruant maxime. Cæterum tecum animo considera quantum ponderis literæ tuæ apud me habuerint. Expedita sunt omnia secundũ uoluntatẽ tuam. Secure, et tuto mittũtur. Equidẽ in tuas manus sunt (ut spero) uentura. Græce omnia scripta sunt ab exẽplaribus deprõpta diligenter. Nihil te offendet, nisi manus librarij, attamẽ facile deprehenderis quicquid erratũ est. Hæc autẽ si celerius mitti cupiebas, nõ tabellario, sed librario ignosce. Non potuit opus absoluere ante id temporis. Vtere, & serua, quod spero interdũ ualitura hæc plurimum apud posteros, cum deposueris de manibus, ad nos remiseris. Erit id pergratũ. interim reputes uelim omnia mea tuis esse parata cõ modis, meque inprimis tuum ære, (ut aiunt) & libra, Caue putes me ob absentiam tui immemorem factum. Fero te semper in oculis non instar illius apud Aristotelem, cui icto in temporibus inimicum uidere uidebatur, sed eius potius, qui spectrum reliquerit

querit in corde humanissimi, & clarissimi uiri de me optime meriti. Non enim obliuioni mandaui nostrã consuetudinẽ, et quanta me semper comitate, benignitate amplexus sis. Ingrati animi est, atq; abiecti hominis beneficia non recordari, presertim huiusmodi, quæ ad illa diuina prope accedunt. Quis non horum ergo tibi deberet? Quis non se uirtutibus tuis perpetuo deuinctum fateretur? Vereor tamen, ne hæc tanquam de more scripta interpreteris, & me putes potius elogium perpolitæ orationis, quam amoris erga te mei in hac epistola edidisse. Aberras tu si id arbitrare eiusmodi factum, toto quidem elogio. Quamuis omni cura, & solicitudine ad illud incũbo, ut latine, ut eleganter, ut ornate, ut numerose, & docte scribam, tamen id nondum consecutus. quibus possum uiribus, & numeris tibi in animum inducere uelim a nemine amari ardentius, quam a meipso, de quo periculum fecisti, et quo cum aliquãdo communicasti quæ ad decus tuum, & gloriam spectabant, itaq; cogites obsecro me non inaneis lagenas obsignare his uerbis, neq; puerilem eloquentiam cupere. Rursus experire, & quoties tibi libitum fuerit, nouerisq; perpoliendæ orationi energiam subesse. Vale & semper. M D XXXII. Nonis Septemb. Bononia.

LVCILL. PHILALTH, artium, Medicinęq; professor.

HIERONYMO FRACASTORIO physico Veronensi græce latinæque doctissi.



VIGESIMO die postquam ad te scripsi, cum essem Pischeriæ ante cænam tuas literas accepi Bononiæ humaniter, & eleganter scriptas, & quod mirũ, uerbotenus ad meas. De Benaci lacus laudibus, mirum. Verum in Strabone, & Pliniano codice tertio de lacubus Italiæ præclara mentio est. Benacus uero, unde Mintius amnis a Mantua non longe, nec longiore tractu pro ductus si Geographiæ Marini, & Ptolomæi fides præstanda est in latitudine abest a medio pararello gradibus quinis, & quadraginta, & ab insulis Canariis, quas fortunatas appellant ab occasu in oceano duobus & triginta secundum longitudinem, Cælum habet illustre. Ventis subijcitur, qui sæpe ex angustijs montium flant non sine unda, & alto lacus motu,

motu, Inde nautis imminet periculum Circumscribitur finibus, nec miliaribus continetur quadraginta uel paulo plus. Edit carpiones pisces suauissimos, quos alibi nasci nemo adhuc mortalium nouit, parit & alia piscium genera, hæc tamen cum alijs communia, Transmisi bis, aut ter ad Saloniensem agrum peruectus nauicula. Quare de loci maiestate, & lacus Laudibus non est cur ad me fusius scribas, De homocentricis potius aliquid expectabam, quibus in orbibus adnimaduerterentur quæ apparent in cursu errantium præsertim astrorum. Non enim me latet quascunque planetarum sphæras homocentricas esse, conuertique circa idem centrum, quod est uniuersi medium, terra nempe, & mari conglobatum, sed illud me angit, an quelibet sphærarum una sit, aut pluribus constet orbibus, qui sint apud te Omocentrici, apud ueteres Astronomiæ authores excentrici, atque epicycli. Sphæra rotunda moles est, cuiusmedium æque abest ab extrema peripheria, hoc medium uocant centrum eius, a quo pariter recedit extremitas rotundi ambitus, quod persuasissimum habeo mihi quoties infigura plana uel circino circulum describo adamussim rotundum, ubi nil emineat, nil depressi uideatur, uel quoties a medio puncto produco linearum tractus usq; ad rotunditatē linea rotunda conclusam æquales, interest

inter circulum,et ſphæram,quod ille figura cenſetur plana,hæc uero ſolida moles, & corporea eſt , Hæc dudum inter elementa Geometriæ leguntur , neceſ-ſaria tamen tyronibus aſtronomiæ , cum quibus & id notabile eſt, uniuerſum hoc , quod & alio nomine ab elegantia Græci Coſmon, & latini Mundum ap-pellant bipertitum eſſe, partem ſuperam habet æthe ream, cæleſtemq; Deorum immortalium habitatio-nem,quæ nunquam incidit in ſenſum homini,depre-henditur autem ſtellarum luce, partem & inferam obtinet elementorum quatuor , ſed ſupera nouem ſphæris Hipparco , & Ptolomeo authoribus , aut decem recentioribus , & his , qui tres motus in octa ua Sphera obſeruarunt , mea uero cenſura octo con tinetur . Infera autem tribus . Vna enim eſt maris , & terræ;contra quam uetuſtas hominum tenuit, & ſemper duxit orbem terrarũ redimitũ undiq; mari , cum potius debuiſſet fluidũmare cinctum littoribus cogitare , atq; perpetuo affirmare , quo de meo dog-mate ſcripſero in philoſophia, nunc a uetere Aſtro-logia non digrediens altiſſimam , oram, quæ uniuer-ſitatem cingit putarim ſphæram octauam , ubi ſyde-rum , & ſtellarum ingens numerus eſt, & unus cer nitur motus ab ortu ad occaſum intra cardines mũ-di,& intra quatuor, & uiginti horarum curriculũ . Hæc ſphera unus , & ſimplex orbis eſt pluribus aſtris pene inciſus ,et inſignitus,Hipparchus,Ptole-

mæusq;

mæusq; commenti ſunt aliũ motum in hac ſphæra, ne rideam acceſſum, & receſſum quorundam aſtrorum, aut potius commentum Alchabitij, & aliorũ, quos refellere longum eſſet. Alio loco id faciam accuratius, nunc tibi tantum ſat ſit expreſiſſe quæ homocentrica eſſe putem. Cum porrò planetæ ſub orbe octauo poſt prima illa ueteris Aſtrologiæ ſecula deprehenderentur, & eorum curſus notarentur, atq; hi præcipue, qui a diurno, & primo diuerſi uiderentur ſubſignifero, obliquoq; orbe intra cardines eiuſdem effici, quot planetæ, tot ſphæras antiqui numerarunt. Verum non uno ſeculo, neq; uno ſapiente ſeptem errantium numerus repertus eſt, nunc cõſtat maiorũ diligentia, Iccirco non plures octo ſphe ris auſim aſſerere, quarum quælibet citra primã ſuis eſt conſtructa orbibus. Saturnia tribus, & horum uno mere excentrico, quem egreſſæ cuſpidis barbari uocant. Huic centrum tribuitur ab illo mundi remotum, & in eodem excentrico epicydum orbiculum quendam reponunt domicilium planetæ. Totidem Ioui, Marti, Soli, Veneri orbes ædificantur ob uarios motus notatos errantium. At uero Mercurio, & Lunæ augent numerum orbium, Quatuor enim lunæ, & quinq; Mercurio cum ſuis epicyclis aſcribunt, Hæc ex illa uetere aſtronomia Ptolemei, depromi ſcis, proinde abs te peto, an homocentrica tua ſint orbes ſpherarum, & totidem quot numeraui, an

etiam

etiam plures? Ego mediusfidius præter simplicem cuiq; errãti sphærã censuerim omnes orbes siue excẽtricos, siue homocentricos essẽ mera hominũ cogitata, nihilq; horum in cœlo esse, Quapropter quid sentiam usque ad id ætatis breuiter dixerim cuique planetæ suum orbem, & hunc unum datum, Motus autem illos uarios esse astri, non orbium, Nam & astra circumferuntur in suis orbibus, sed cuiusmodi, alio loco explicabo diligentissime, & si certo scio non placiturum tibi hoc dogma meum, dogma recens contra fere omnem ueterum Astronomiam, sed quid si contineret ueritatem, & cœlum liberaret tam implicita, & confusa orbium fabrica? Non sum certe nescius Ptolemæum acris ingenij, & industriæ singularis hominem commentum fuisse quasdam causas eorum, quæ obseruabantur a mortalibus, & absoluisse editionem illam magnam de rebus astronomicis admirabilem, in qua uim omnem ingenij sui præstitit. Nec possum, nec debeo inficiari acumen hominis, & singularem, atque incredibilem doctrinam, modo ueris docuisset causis uisa cælestia, quæ tu alio modo tueri ingressus es, de quo uidero. Sed interea tuis ad me literis fac quæso, ut aliquot fructus reconditæ artis tue legam. Nam reputabo me legisse humanitatis, & comitatis tuæ gemmas, quibus elucet uirtus tua, & omnibus grata uidetur, Hoc si

feceris

feceris me tibi deuincies perpetuo debito, & officio obligabis tua persona, tuaque bonitate dignissimo. Persuade tibi id mihi fore, quo nihil gratius. de quo etiam scripsi sperans propterea impetrari posse quod dudum comitas, & liberalitas animi tui perspecta ciui, & populo est. Huic existimaui fidendum, & confidendum maxime, etiam si quędam mihi tecum intercedit necessitudo, & consuetudo studiorum. postremo me aliquot annos Bononiæ mansurum scias uelim. Ecce me omnibus mandatis tuis paratissimum. quo neminem existima obsequentiorem tibi, curabo quæ uoles diligentissime, & habebo gratiæ loco, si mandaueris mihi. Non parcam labori, quin recte studiose, celeriter exequar. Vale M. D. XXXI. tertio Non. Nouemb. Bononia.

LVCILL.

LVCILL. PHILALTH, artium, Medicinęq; professor.

ANDREAE NAVAGERIO eloquentissimo.



EXISTIMABAM tandem fore cum tibi daretur spatium a legationibus requiescendi, & animum ad præclara studia referendi, quæ a puero cœpisti cum magna omnium in tua Rep. expectatione, sperabam præterea quando mihi concessum fuisset suauissima consuetudine tua frui, quam spem nuper tibi designata, atq; decreta ad potentissimum Galliarum Regem legatio fefellit. Et enim magnum, & laudabile, attamen laboriosum, hominiq; bene morigerato, & delicati stomachi, necnon studijs optimarum artium, & scientiarum deditissimo non diu tolerabile munus legationis uideri solet, quo quidem te dignissimum Resp. Veneta propterea censet, quod eruditorum iudicio, & doctissimorum hominum sententia es omni facundiæ, & eloquentiæ laude cumulatus orator, & nosti animos

nos principum permouere, docere, impellere ad usum patriæ tuæ, qua arte in uita hominum nulla celebrata hactenus maior, uel habita est efficacior, & illustrior collaudata magnopere, & tu hac ipsa ornatus, muneris auges maiestatem, & facis expetendum. quandoquidem consuerint permulti tantum onus recusare, quod uidissent a commodis, & familiari cura abstrahi, nihilominus nobilitasti prouinciam, illustrasti dignitatem, iniecisti ob id ardorem, uel flammam in pectoribus ciuium ad capescendum hoc munus a te auctum authoritate summa, & fama incredibili. AEgisti tu oratorem, aut legatus obiisti munus omnibus numeris expletum. In Legato hæc desiderantur, scientia rerum multarum, Hinc historia maxime illi necessaria, Vsus, prudentia, consilium, celeritas, fides, integritas, constantia, quorum nihil unquam tibi defuit. Scientia, atque multiplici rerum humanarum fretus ad Musas, & ad oratoriam facultatem denique animum adiunxisti, quod hæc usui Reip. maxime esse tibi uidebatur, & ad gloriam Nauageriorum maxime pertinere. Nec certe fraudasti opinionem, nec frustra auspicia suscepisti a primis disciplinarum elementis. qui auspicatissimum initium sumpsisti in dialectica, & philosophia, quibus imbutus deesse fato tuo non poteras, a quo uocabaris ad Musas, & ad artem dicendi. In utraq;

autem

autem qui sis, & quantum excellas iam carmina tua, & orationes tuæ in utroque funere & Leonardi Lauretani optimi. Venetiarum principis, & Bartholomei Liuiani indicarunt, quas cum habuisti, attentissime audiui. Eram tum admodum adolescens, græce nihilominus, & latine iuxta uires ingenij, & ætatis præditus, inde cæpi nomen tuum, & uirtutes obseruare, admirarique quando & tu de meo ingeniolo nonnihil augurabaris, & bene sentiebas, Et nisi patria te a nobis, procul tibi fere semper aliqua delata legatione continuisset & tuæ me conciliassem beneuolentiæ, Itaque doleo tua absentia, & mea iniqua sorte, quæ nunc te mihi eripuit cum ista Gallica legatione, ad quem tanto interuallo absentem si scripsero, certe uereor, ne ullum unquam mihi reddatur aut afferratur responsum. Quinetiam uereor tibi, quod cælum mutas tuæ naturæ non admodum salutare. Alget nimium, & illa uictus ratio inimica stomacho tuo, & consuetudini. Veruntamen Dij immortales uelim tibi bene omnia uertant, & secundent. Es quippe uir hac nostra luce dignus, & tua Rep. utilissimus, ac de re literaria optime meritus, Hinc non possum tibi non bene optare, atq; diu. Reliquũ ex his carminibus, quæ ad me nuper scripsisti, & auidissime legi lubentissime perspexi quam me ames, & tuã erga me uoluntatẽ cognoui, Ego non queo nõ

tuis

tuis Muſis habere gratias, utinam referre poſſim, non prӕterirem ullum officium, ſicut omne obſequium per me tibi conſtitui paratum, Itaque hoc mihi gratulor, quod de me bene ſperas, & lӕtor maxime quod item abs te uere diligi uideo. Vtrunque habeo & reputo in bonӕ fortunӕ partem. Abs te peto mirum in modum, ut ſi tibi ſit tempus, & ocium ad me tuas literas mittas de omni ſtudio tuo, & cura, interea prӕces pro te fundã apud Deos Immortales, ut poſſis ſcribere quӕ tibi, & mihi ſint Iocundiſſima. Vale. Sexto idus Auguſti. Patauio.



LVCILL. PHILALTH, Artium, Medicinęq; professor.

LEONICO PHILOSOPHO primario.

QVOAD nuntio tuo, & tuis literis meditabar responsum, a Bellouacensi redditæ sunt mihi literæ cum præclara testificatione curæ, & solicitudinis tuæ in eo negocio de recuperandis Philoponi commentarijs, de quo te amo, & fateor ingenue me tibi debere uel maxime, & uellem mihi mandares aliquid, certe non ante cõquiescerem, quam mandata tua exhausissem, et perfecissem omnia, Quinimmo non quæo certioribus indicijs tuum erga me amorem cognoscere, nisi cum aliquid oneris mihi imponis, quod quanto crebrius imposueris, tanto significantius agnoscam beneuolentiam erga me tuam. Tuum ergo est me in hac notitia & opinione confirmare. attamen existimo si non imponis, non esse neccesse tibi, neq; occurere, aut accidere quid mihi mandare possis, quoniam confido ita integritati tuæ, ut non caueres, præsertim cum scias me multi facere magnitudinem tuorũ

erga

erga me meritorum, & animi tui sinceritatem, Nō enim nosti simulare, atque dissimulare. Sed uiuis libere, & in hac libertate cuncta geris uirtute duce. Sed hæc hactenus, expectoque, ut mandes de literis tuis, q̄ mihi periocundæ fuerunt ex eo, quod arbitraris me uere philosaphari, & non nugari, nō habeo aliud dicendum, nisi polliceri me ita gesturū, ut uidear erudito satisfecisse. Omnibus autem quis posset, presertim inuidis, quibus abundat officina præcipue literaria, Quod item grata tibi mea studia scribis, & labores meos iudicas laudabiles, facis tu quidem magno amore, simul ac naturæ tuæ bonitate, Ac si eiusmodi sunt studia, ut tibi probari uideo, plane istiusmodi fuisti princeps, ego comes, qui a latere tuo raro discedebam ob doctrinam excellentem, Quapropter non dubito dum mea putas extollere, quim tua efferas pene ad cœlum semina, quæ iecisti hæc ediderunt, tamen (ut spero) editura indies melius Non tradam animū meū inertiæ, atq; illæcebris, & cupiditatibus, nec uentri, nec iocis, & scortatoribus. Continebo me intra fines modestiæ, ut studio. diligentia, uigilijs consequar quantum præsentis me consecuturum, Non enim simul corpori, & spiritui, aut uentri, & animo inseruire possumus. Imperia sunt diuisa, nec utrique nos morem gerimus æque cum homines simus, & ab animo simus, hunc excolere debemus ut

M perpetuo

perpetuo uiuamus, etiam a supremo die in alia luce, quando quidem hoc seculum nobis sit tanquam forum mercandi, in quo & lucrari memoriam bene actorum sempiternam licet. Datum est hoc a Dijs immortalibus, ut commutare queamus rem mortalem in eternam, & pro momento pene huius uitæ comparare æternitatem, quia constamus caduco, & æterno. Corpus enim caducum Animus in posterum sempiternus. de quo qui aliter opinantur in magno sunt errore, nec homines, nedum philosophi appellari deberent, Quonam modo periturus esset animus animantis illius, quem Deus, & Natura multis partibus a toto reliquo animante abesse uoluerunt? Si humano generi rationem, uoluntatem, mentem tribuit, quibus perornaretur, & excelleret cunctis animantibus, quid non & statum immortalitatis huic fabricauit? qui sane status cum intra elementa mundi pugnantia, intra uicissitudinem rerum asseri non potuit nec confirmari, iccirco conditus est in aliena regione, ne aliquid obsistat quieti, & tranquillitati uitæ, Ac mens incorporea cum animo non subit corporis fatum. Hoc dissolubile est, quia ex inimicis conditum uidetur, animus autem simplex, non coagmentatur contrarijs, sibi notus, & amicus semper & uniusmodi est, Accedit huc rerum æternarum comprehensio, quas nisi animus esset

æternus,

æternus, non posset apprehendere, Quoties amitteret in ipso interitu, nunquam recuperaturus infelicior longe belluarum uita uideretur. Ideæ, & uniuersa comprehenduntur animo, & mente æterna, & nullius sensibus caducis percipiuntur, Atque si animus aliunde & non a mortalibus parentibus accedit post quadraginta, aut Sex, et triginta dies humanæ fabricæ in utero genetricis, ut est in libello Hippocratis de pueri natura, plane compertum uidetur non e semine ortum, neque cum corpore habere commune quippiam Accedit sane cum opus est absolutum, tanquam rector, & moderator animantis machinæ, qui si a cœlo, uel astro, uel potius a Deo corpori præficitur, etiam seiungi potest sine interitu suo. Vt enim coniunctio petit iungenda fuisse separata, ita seperatio requirit ea, quæ separari queant & permaneant, Quamobrẽ si ante coniũctionẽ extitit animus, nõ interiturus a separatione uidetur, Nulla itẽ nobis cum Dijs similitudo, si animus mortalis, et illi sẽpiterni, Vnde sapiẽter ille aiebat, Mori necesse est, nõ autẽ oĩno mori, quoniã remanet melior, et potior pars, cui innata cupido ad æternitatẽ, Ad hãc studia nostra, ad hãc perẽne desideriũ, labores, uigiliæ referũtur, Nõ fert natura in minimis, quãto magis ĩ maioribus fraudari natiuã cupiditatẽ, Quinetiã cõditio corporis felicior lõge putaretur illa animi, ꝓpea quod

nobis eiusmodi duce natura prouisum est morientibus, ut saltem ipsa propagine, ipsoque genere semper simus. At animo, si periret nulla prouisio, nullum consilium, & numero, & genere interiret sine ulla clementia Dei, & naturæ. Nec non si mens quoad uita est in corpore se gerit separatim quasi emancipata, quanto magis permanebit separata recessu corporis, in quo qui animum recedere a corpore existimat, toto recessu aberrat, Equidem nõ animus deserit corpus, sed hoc ipsum ab animo discedit. Mors porro est corporis ab animo discessus, et quod interire cœpit, id pergit semper dissolui quoad in prima abiuerit elementa. Animum quis unquam uidit dilui, & dissipari aut sensim, aut momento? Nec animi natura in aspectum oculorum cadere potest, attamen est contra Dicearchi pertinaciam negantis aninum esse. Quare sine mole, & materia ille consistit, hoc est sine causa moriendi, uerum cum, mihi occurrant innumerabiles rationes ad hoc de immortalitate animi dogma, elogio Platonico in libris de Rep. fecero nunc finem confirmandi in quibus Socrates post multa argumenta eo peruenit, ut si quis Dei filius animam nostri generis nobis dixerit immortalem, credendum mandarit. Accepimus dudum id a filio Dei Christo redemptore, de quo nemo unquam mortalium satis honorifice loqui potuit, nec poterit, sed reuertar ad meum mercatũ,

cui

cui me dedo lucrandi bene causa. Socrates moralis philosophus, & eius philosophiæ facile princeps in dialogo de lucricupiditate profitetur omnes homines iure appetere lucrum, quod turpe lucrum non esse etiam lucrum, sed damnũ intelligebat, in meo mercaturæ negotio etiam si mercari nunquam didicerim, mihi præter lucrum magna sunt proposita uel præmia, uel emolumenta, & hec duo maxime honor, & fama apud posteros diuturna, nisi me falsa spes alat isto modo, & eludat interim, quod non crediderim, nec te fefellit, a quo semper instituti mei exẽplum accepi, nec mutabo uoluntatem donec me nouero attigisse promerita premiorum. Quamquam his temporibus frigeat laus politiorum literarum, et nisi uitia, uel commenta hominum in precio sint, tamen apud bonos magni est ponderis. Honor alit uirtutes, & incendit præcordia ad parandas disciplinas, Nescio plane quid sentiant philosophi, dum sanciunt uirtutes per se expetendas, & eorum Socrates maxime, qui animĩ ornamenta disciplinas, & scientias nec ad honorem, & gloriam duxit referenda, cum tamen in omni sua disputatione excellentiæ sit studiosus. plane legem affirmat de ambitu, a quo omnes suos amicos, & familiares uerbis deterruit, at reapse nemo deperibat magis laudem, & excellentiam, quam ille, Honor nisi premium constituatur doctrinæ, & uirtutibus, non uideo quale esse me-

lius & maius queat. attamen pro uiribus studendum, ac manibus pedibus conandum dies, noctesq;, quo quisq; iuste promereatur honores, & inanē gloriam fugiat. Hoc gloriæ genus & si leuis armaturæ milites, & parum prudenteis delectat, tamen quamprimũ deprehendunt se inani aura iactatos, erroris sui pœnas luunt, mærore afflicti, quod adte scribendum putaui, ne uidear leui honorum ambitione laborare. De fama apud posteritatem cupido pærsepe occasio fuit rerum præclare gestarum, Ex omnibus porro studijs quæ homini grata, & chara sunt, nullum æque laudabile, quàm posteris aggregare monimenta uirtutum, in quæ intueantur, & quæ sicut exempla sequi possint, & tanquam uestigia premenda habeant. Maiores ob id nostri merito inter Deos relati sunt, & eo beatiores, ac diuinitate digniores habiti, quo maioribus, & pluribus beneficijs posteritatem iuuerint. Cæpi sane ipse ab adolescentia tuo item hortatu, atq; amicorum impulsu mentis uigilijs, lucubrationibus Gymnasia studiosorũ non spe nummi, sed gloriæ, ut uere, ingenueq; fatear adiuuare studiosissime, qui cum adnimauerterem permultos esse, qui græce legere nescirent, authoribus, & commentarijs in dialectica, & philosophia de natura operam dedi, ut a me conuersi diligenter in manibus uersarentur cupientium. conuerti, & conuertam omni studio nec arbitratu meo, sed potius inspe-

cto

cto usu, & seruata cõsuetudine loquendi, qua si quis elegantius scribere mallet, non legeretur. Quare fuit consuetudini mos gerẽdus, & inseruiendũ scholæ. Sed quid hæc tecum tam fuse, cui hæc dudum fuere perspecta, & comperta? Equidem nisi me nonnulli coegissent hæc scribere me adhortantes ad limatiorem stylum, hæc præteriissem, sed partim stimulant, partim mordent, alij desiderant, quod plane ignorant, Mitto ad te cum his literis Ascanium meum peccupidum tuæ consuetudinis iuuenem mihi uehementer probatum, ut sit tibi charus, & studiosus uirtutum tuarum, quem complectaris obsecro, ut me pari pietate, & benignitate consuesti. Quicquid enim beneficij in illum contuleris, in me redundare non dubitabis; procul enim dubio conditio hominis tibi admodum placebit, & gratissima erit. Quare abs te peto, ut lectis meis literis eum accersas, & mei causa eidem polliceare quicquid potes, quod quoniam satis confido fore, non repetã pluribus. De me uelim sic cogites, nihil mihi uel potius, uel antiquius esse, quam tibi inseruire, & tuis mandatis obtemperare. Vale M D X X X I I. Die prima Ianuarij

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicinęq; professor.

AEGIDIO CARDINALI Viterbiensi grecæ, hebraiceq; doctissimo.

NON fecisses tam memorabile rei familiaris naufragium, nec tam insigne bibliothecæ tuæ detrimentum accepisses, si in his fides fuisset, in quibus esse debebat. Vrbem milite perfido, & auaro diripi, expilariq; penitus, & usque ad sacra Deorum, non incuria Clementis optimi, summiq; pontificis, sed nimia quidem fæderi, cum Gallo, & Veneto fiducia, non uidisses, aut audisses a tua fuga, quam cœpisti sapienter cum socijs tuis, iccirco non ubique tuta fides, nec secura quies, Nam semifrons homini facta est, cum Androgynus ille primus homo in symposio Platonis fronte fuisset undique cinctus sub capite, Qua de re nulli aut perpaucis fidendum, Doleo nimirum uicem tuam, & casum sibi obtigisse, cui prouidendū est, & potes prouidere prudenter. Te Romæ esse saluum, & eodem accessisse sospitem lætor, & gaudeo. Hoc sperabam de tuo di-

scessu

scessu a nobis, deque tuis itineribus, sed spes non omnino certa est, nunc certo scio, & triumpho pene de tua salute, quæ mihi atque mea lux chara est. Quapropter iocundissimum mihi fuit ex tuis gratiosissimis literis cognoscere & iter prospere tibi fuisse, & te hodie bene ualere. tametsi etiam ex aliorum nuncijs, & literis idem intellexerim, quibus nō æque afficiebar atque tuis, quæ essent humanitatis, & gratitudinis plenæ, & indices tuæ naturæ, atque beneuoli animi erga me tui, cui nempe debeo quicquid in me honorifice sentis esse, & præsentire cæpisti ab eo die, a quo sum auspicatus tecum inire gratiam & tuam personam te dignissimam mihi conciliare quod cum diu ante efficcere desiderio flagrassem, quam euenit (Erat fama præclara circunfusa doctrinæ tuæ atque uirtutum) tandem illuxit illa dies mihi fælix, & fausta me applicandi ad obsequia tui, & te ex corde, & spiritu omni plurimum diligendi, cum in te eniteat omnis animi pulchritudo, quæ me mouit eo usque, ut te colerem, et obseruantia prosequerer, ut item quoaduixero colam, & prosequar diligenter, quod tibi, & tuæ excellentissimæ doctrinę opto, & statuo persuasissimum esse, tam & si desunt mihi rationes persuadendi, Vnum tamen inditium est in mandatis tuis, quoniam quicquid mihi mandaueris curabo auidissime exequi, De meritis erga me tuis, atque de officijs non scripsero quicquam.

Nondum

Nondum etiam data, aut præbita est occasio experiundi authoritatem tuam, confido tamen quoties mihi opus esset tua persona peramante mei, uti ad obtinendum aliquid, pro ea, quæ tua est naturæ bonitas, & gratia te non defuturum unquam, ueruntamen neque hac de mea fiducia te amo mirum in modum, sed de ornamentis egregijs tuis, quæ sunt Phæbo illustriora ubique fere mortalium perspecta. Non enim ex futuris, sed ex iam habitis, dijudicatur homo, De tua futura gratitudine alias, nunc emetior uires uirtutum tuarum, ingenij, & industriæ, quas contemplor, & in contemplatione meditor cuiusmodi potueris complecti tot disciplinarum, & linguarum scientiam exacte, quippe qui etiam uel concionando, uel legationem in Hispaniam pro sede summa pontificum obeundo nunquam conquiesti, nec multum otij tibi fuit. Iccirco omnem artem, & disciplinam ingenio tuo peracri tribuerim, quo diuinitus, & cum summa laude gestorum tuorum te gesisti, & eatenus quidem, ut prius te cooptatum in collegium cardinalium audiueris; quam cuperes, Hæc tibi præuisa fuit dignitas de sacrosancto Pontificis imperio optime merito, quæ accessio, aut quale premium uirtutum tuarum omnibus Europæ bonis magnæ uoluptati fuit Nemo, si quæ a puero bene recordor, extitit uir literatus, qui id sibi gratissimum

non

non putaret. Vide quid, & quantum ualeat commendatio uirtutis. & maxime tuæ, quæ te ampliſſime illuſtrauit, & ab Heremitano ordine in ſupremum prouexit pontificum conſenſu, & commendatione omnium. Quoad enim egregiam concionandi operam exercuiſti nemo uel arte, uel doctrina te ſuperauit, quod noueris facultate oratoria uti, atque foro dicendi. Tua ſi quidem oratio uernaculo ſermone limatior, & perpolitior ſale, lepore, facundia, uenuſtate eloquentiæ abundabat cum quadam religione admirabili. De legatione tua ad Regem Hiſpaniarum non dicam amplius, niſi quod teſtimoniũ tuũ iuuerit Eccleſiã, et tua diligẽtia prouiderit caſibus, qui potuiſſent contra Deũ, et fidẽ catholicã incidere, ob id Romam reuerſus es cũ laude et opinione etiã maiore, quã expectabas, inde amabilior uiſus es, & pontificio gradu dignior, Quibus de rebus non breui ſolum deſignatus, uerumetiam declaratus fuiſti cardinalis digniſſimus, quæ dignitas multo ante deberi tibi intelligebatur, quam eam adeptus ſis, De qua alio loco pluribus, nunc Fabricio iſto ſane homine, qui has tibi redditurus eſt literas grece erudito utor quam familiariſſime. A me diligitur prope unice cum propter ingenium, tum ob ſingularem modeſtiam. Quoniam Romæ manſurus eſt donec de penſione quadam ſibi quotannis reddita nuper in controuerſiam adducta

declaretur,

declaretur, tum tibi etiam, atque etiam commendo, non ignarus quantum fauor ualeat personæ tuæ. fac quæso, ut intelligat quanti me facias. Vale. M. D. XXX. Non. Aprilibus.

LVCILL. PHILALTH. Artium, Medicineq; professor.

LAMPRIDIO SVO S. P. D.



EXPECTANTI mihi uel hominem, uel responsum, neutrum adhuc obtigit. perualde suspicor te spe adductum non posse adhuc decernere. nisi & tu expectas responsum; si non occurrit qui tibi uideatur ad eam prouinciam idoneus, desine de hac te cura macerare, & scribe quamprimū cuiusmodi res se habeat, Caue putes ob id officium tuum minus ponderis apud me habiturum. Certo scio te non defuisse desiderio nostro, Quod si etiam tibi præmanibus est, qui hoc munus obire digne, &

cum

cum gratia possit, adhuc integrum est hunc ad nos mitti. etiam collaudabitur, Interim potuisses experiri quid animi Ioan. Bernardus Felicianus haberet, quo de homine nobis bene, & Cardinali nuper nunciatum est, & multi honorifice loquuntur, quamquam nuncij, & hi certi illum aperuisse ludum affirmant, ad quem nobilitas Veneta confluit, tanquam ad officinam cudendi, & procudendi oratoris, & in quo utraque nitet eloquentia cum græca tum latina, nec non sæpe Græcus Orator cum Latino confertur. Verum perpaucæ extant orationes latinæ præter Tullianas, & multæ græcæ non Demosthenis modo, uerumetiam Isocratis, Xenophōtis, ac Themistij, utinā illæ Crassi, Antonij, Hortensij uersarentur in manibus eruditorum, tum facile cerneretur comparatio, tametsi unus pro cunctis Græciæ oratoribus Cicero meo Iudicio, mea quinimo cēsura haberi potest, omnes enim laudandi præcipue in suo genere, Cicero nunquam plene laudari poterit, de quo aliter nec tu (mi Lampridi) sentire debes, qui Græcorum aliquando suscepisti patrocinium. Sed redeo ad illam personam, quæ fuit superioribus literis quæsita, nuper ex Hetruriæ genere uir bene doctus, non tamen græce admodum peritus sese nobis obtulit, qui credebat de latinis literis sibi negotium solum dari; ut audiuit requiri hominem, qui præcipue græca norit, cōditionē recusauit, Ac græ-

cus

cus natione Petrus qdã Phanereus incidit in manus nostras græce doctus, parũ aũt latine, Nec ad rẽ nostrã hic aptior habitus est, Quẽ ergo cupimus, hũc pro cõpto habes: hũcq; gratissimũ fore putamus, si grauissima authoritas tua intercesserit, quæ hominẽ collaudet, id non nobis solũ admõm gratũ, sed etiã cardinali maxime, et optatũ speramus, nec minus nobis iocũdũ fuerit, si de rebus tuis, et de fortuna nos feceris certiores, Romulus te unice diligit, et tibi bene esse cupit. Crediderĩ adte illũ scribere uelle. Cõsiliũ hominis q̃so nõ spernas. Ex ĩtimis cordis penetralibus p̃sefert te plurimi facere. Quicquid de te loquitur, etiã sẽtit. loquitur quidẽ q̃ honorifice, et tuã doctrinã laudibus effert, atq; si quis est, qui hac de re animũ illius cognoscat, is plane sũ. Vtinã posset et fortunã tuã admirari, id etiam lubẽtissime faceret, sed quãdo te uellet eo euectũ uidere fortunæ, ut ualeas cum laude rẽ literariã iuuare, et augere, obsecro cõsilijs auscultes, et teipsum prębeas, qualẽ te uidere, et habere Gymnasia eruditorũ p̃cupiũt. Hæc puto prudẽti satis esse. De meis studijs si aues aliquid scire, nihil ĩ primis esse, uel antiquius mihi, quã dies, noctesq; cogitare de literis scias uelim. Hæ sunt cordi, Hæ animo semper. Hæ p̃ oculis. conficior itaq; prope desiderio adipiscendarũ bonarũ, & politiorũ literarũ, quo si fraudabor, culpa omnis ascribenda fortunæ, nõ meæ uoluntati, Vale

M D X X X I I. Kalen. Decemb.

LVCILL.

LVCILL. PHILALTH. Artium, Medicineq; professor.

IVSTINOPOLITANO de morte patris sui.

*

DE obitu patris tui, quem te amisisse putas non est cur conquerare, Nam ille satisfecit naturæ, & fato simul, ac posteritati uiam monstrauit, quæ una est omnibus, quæ oriuntur, semel occidere, idque præscripto moriendi spatio, quale preteriri non potest, nec differri. Mors sola Dearũ nec precibus flecti, nec donis mitigari patitur. Aristophanes comicus ille poeta hæc reliquit in Ranis, Mors nescit donis nec pcibus flecti. Hinc illud mori necesse est, quæ necessitas nulli corporeæ moli parcit, nec syderibus, nec ætheri, quæ quoniã partibus renouantur, nobis uidẽtur, et Aristoteli sẽpiterna, At uero hæc etiã suis statis spatijs peunt, ut quoq; Apollo deniq; restitutus uideatur, quoties partibus reficitur. Hoc Plotinus uidit in libro suo de cœlo cũ Stoico forte, sola incorporea æterna sũt, Re-

liqua

liqua coagmentata dissolui possunt, quare lege naturæ erat patri tuo uiro optimo conditio facta, ut moriendi finem faceret. Quid nam hæc uita ssi a Sophocle secundo in sapientia, iudice Aristophane, aut ab Euripide primo, petas) nisi continue mori? Et unde ipsi moribundi, aut mortales? Habet quisque intra præcordia lætale uenenum sine antidoto. Hoc uenenum uel necessitas est, uel hyle, aut materia uicissitudinis origo. Quicquid in sui fabrica id ueneni sumpsit, tandem tabescat oportet. Dij quia immortales esse uoluerunt, hoc ueneno liberati sunt, Ac non illa solum conditio lætalis ueneni, priuatio, & cupido immensa materiæ facit nos mortales esse, sed etiam coagmentatio corporis ex his, quæ pugnantibus inter se qualitatibus æstu, gelu, arido, udo dissolutionem moliuntur. Primum diu simul, & semper in eadem machina, & mole esse non possunt, Dein cuique innata cupiditas redeundi eodem, unde discesserit, statum coagmentati corporis non sinit conquiescere. Et ignis ad ignes, & tellus, atque reliqua elementa ad primordia redigi petunt, Redigi autem non possunt sine dissolutione corporis, quale etiam si more medicorum quadratum esset, ac optimi (ut aiunt) habitus, semper manere in uita non quiret. Lacessitur iniuria cœli, & temporum uicissitudine. Læditur aduersis, Nec ex adamante, aut marmore constat, perfacile quidem afficitur, &

contaminatur,

contaminatur, quoniam si temperies in quadam simmetria est, & tono, quam leuissimo negotio hæc musica dissonat. Et quando quæ ad corpus attinent bene essent composita, & ad perpetuum statum propensa sine momento ad interitum, attamen animus libertatis cupidus ab hoc corporeo carcere eximi, & ab eius uinclis in libertatem sese uendicare pro uiribus conaretur, ne detentus perpetuo uim feret, & a beata uitæ suæ consuetudine inter astra procul permaneret. Equidem facile suspicor quando ille mærore, & dolore afficiatur dum abest a cætu beatorũ. Quinimo, ut tibi uere fatear quod sentio, interdum rapior ad meditationem eorum, quæ in hoc curriculo tragædiarum gessi, necnon enumero gesta, metior momenta uitæ, considero quid egi, quid cæpi, sed quoties suspicio cælum, meam uicem doleo, atq; interdũ angor cogitans mihi non obtigisse locum in cælo, ubi lux semper sine tenebris, uita sine morte, uoluptas sine dolore uiget. Magnum animo contemplanti uideri solet, & admiranti quid sibi obtigerit magis corporeo carcere animantis contineri, quam in æthere longe lateq; potiri felicitate. Quare etiam, atq; etiam tecum considera (mi Aloysi) nihil inuitius animo, & mente, quam diu premi exulem tanquam a patria procul, & uinclis districtum, quæ si frangere ante præfinitum libertati diem ei licuisset, & euadere in libertatem, crede mihi non usq; ad senectutẽ

hominis contineretur in custodia, iam omnes ossium articulos, & nodos fregisset. Iam ligamenta per omne corpus dissoluisset, tendines incidisset, neruos amputasset, reliquisset, spiritum deseruisset, sanguinem etiam in fibris destitutū, & calorem extinctum iri siuisset, sed quia legibus cautum est, ne quis custodiam iniussu magistratus effugiat, iccirco retinendus est animus usque ad supremum diem, Vbi nam ante exiret, indicta est illi pena circa corpus, & sepulcra errare Plotino asseuerāte quoad diem implerit praescriptam e uita migrandi, quibus persuasissimum tibi esse puto, quod si corpus suapte natura indissolubile uideretur, aut Balsamo, uel cera illitum, ad quē modum seruantur cadauera a Persis, & Aegyptijs, tamen haec lux defutura esset nobis animo hinc euolare cupiente. cui rursus si ardor esset in corpore perpetuo permanendi, hoc desiderium illi non bene uerteretur, nec accidere posset, nisi temere, & frustra, quoniam facultati, cui uis finita est in mole corporea constituta, & definita denegatū est posse ibi semper consistere. Equidem omne finitum aliquando finiat, oportet, Animus, & corpus finita sunt, & habetur a doctis eiusmodi, Quinetiam quoad uitam tuendam presentem attinet, omnis nempe calore fulcta est, & quoad calor natiuus membra continet, uiuitur, iccirco mors ultimum terribilium, quod omnes aequat nō aliud esse decernitur, quā extinctio

caloris

caloris innati in corde, qui æternus esse nõ põt, neq; esca caloris, unde alitur, & sustentatur, sempiterna est, Absumitur indies, & resarcitur, sed nunq̃ æque & eodem sane modo, Iccirco tabescit, & senectus tacita obrepit homini, cui deniq; mors est consumptio humidi naturalis, Quare mortaliũ nemo ad immortalitatẽ aspirare duce natura põt, suã agnoscat fragilitatem necesse est, deq; se bene sperare, etenim terra altrix deorum, & hominũ instar puncti in medio mundi ẽt si uniuersa coleretur, & fructus proferret, nunq̃ suis prouentibus posset tot homines natos sustentare immortales. iccirco prouisum est, ut parentes hęredibus cedant bona, & pueris senes, Ac cuiq; suũ, ut ita dicam trimodiũ frumẽti natura dedit, quo absumpto moriendũ sit, ne posteritatis usurpet alimenta, qui antea uixit. Itaq; patri tuo tibi sane charis. fuit moriendũ, ne consumpsisset quantum ad te attinet, cuius obitum, nec deplorare nec collacrimare debes si uiues, qui certo scias stulte nos lugere, quæ uitari non possunt. Senex obijt diem suũ, & obijt cũ summa laude factorum, te reliquit & fratres tuos aptos toga, uel armis; spiritũ exhalauit in pace, Deoq; se plurimũ cõmandauit, tamq; pręsentibus, quam absentibus liberis bene dixit, concordiã præcepit. Quid quæris? Quod si patrẽ putas amissum, aut mortẽ in malis numeres, abes tu quidẽ a uero lõgiss. Nec amisisti parentem, nec mors aliquid mali affert, Ami-

fisses tu illum, qui ex hac uita solum discessit, nisi tibi uiam, & iter sui conueniendi monstrasset. Et a puero cœpit tibi iter ostendere bene uiuendi sine iniuria propinqui, & querela proximi tui, quoniam donec hac luce frueretur, uixit perinde, atque semper sibi esset moriendum, quam uiam si ingressus es, & de ea non declinabis, nec ab orbita uirtutis animum flecteris, annuncio tibi fore, cum illum inueneris, & amplecti poteris, qui & Deo gratias egerit, quod te in regno beatorum conspiciet, & in his locis, in quibus æuo perfruantur, qui iusticiam, pietatem coluerint, & se bene in hac uita gesserint. Abest igitur tantum, ut amiseris patrem, ut potius retineas semper meliore in statu, & conditione ampliori, quippe cum adeptus sit sempiternitatem, ubi semper illi bene, & nunquam male, ad quem salutis, & gloriæ portum sine intercedente obitu nemo peruenire potest. Mors porro finis moriendi, initium est, unde euolat animus ad uitam sempiternam. Quam illi pessime quidem mortem malum opinantur, si est occasio uitam tranquillam, & beatam uiuendi. Hac traducimur ad optatum, & diu præuisum beatitatis nostræ locum. Vnde potes teipsum leuare mærore, quem animo concepisti, teque ipsum consolari uehementer. Quibus hactenus potui argumentis te leuare molestia, aut mitigare accerbitatem doloris tui non recu-

cusaui hic uti breuiter, ne abs te hac de re offitium requireretur meum, ne item mærori succumberes, cui pene te succubuisse ex literis tuis cognoui. Sed heus tu? Erige animum, memento nos mortales conditos, cogitato miserias nostri generis. Perpendito unde orti simus, & qua seruitute urgeamur corporis nostri, quibus morbis, & molestijs premamur. Si enim seruitutem grauiter, & moleste ferimus, quanto magis perpetuam seruitutem quæ debetur curis, cogitationibus, corpori, filijs, parentibus? Quare noli committere, quin sis animo forti, & magno, quin tibi persuadeas, si mortuis sensus est, patrem tuum affici hoc tuo mœrore. Desine ergo, ne etiam ille mœreat, & sua fraudetur quiete, Vale & me certiorem feceris de omnibus rebus tuis. M D XXXII. De mense Februario.

LVCILL. PHILALTH. Artium, Medicinęq; professor.

BEMBO DOCTISS.

*

NON accipio excusationem tuam, quā reddis, quamobrem non ante literis meis a te redditum sit responsum. Ea tamen ex parte, quatenus te cogitabas propediem nobiscum fore, totum id nosco, & probo. Nam auide expectabamus personam tuam, quæ nos hilaritate, gaudio compleuisset, Vt audiuit te aduentare nostra officina ad nos, tuo uel nomine recreata est, Quid si te de facie inspexisset, cogita quo exiluisset gaudio? Obuiam tibi uenire constituimus, Verum adhuc speramus nos id facturos, Atque hæc cum socijs, Quoad me attinet gratum fuit officium, erga me tuum, & tua magis propensa uoluntas, sed longe gratissimum quod uideo tibi curæ esse, ut aliquando per literas inter nos colloquamur, & quoniam mihi facis potestatem garriendi quam familiariter. Dulcis & suauis potestas cum amicissimo disserendi & tractandi omni de re, quæ in buccam uenire solet.

let. *Amo hanc libertatem, quam nonnulli accusant, & damnant immerito, cum ex præscripto scribi mandant, nec approbent, nisi uerba Ciceronis, dum eloquentiam huius se attigisse arbitrantur. Ego multo secius statuerim. Quamquam nemo Tullianæ orationi parem efficere potuit, & ille Senator, & Consul, Orator singularis cunctos indicendo superauit, tamen de rebus omnibus nec scripsit, nec dixit, quas ubi disserere, ac eloqui cogeremur sine uerbis summi oratoris disputare, & effari oporteret, itaque consultius opinor fieri, si quis se dederit eloquentiæ nulli addictus eiusmodi, ut ne uerbo quidem ab illo digrediendum statuat, Hæc sane methodus nimium arcta est, nec sufficit, preterquam quod multi hodie putant se eo uenisse eloquentiæ, ut nisi Tullianam sapere, & redolere sentiant, At uero id est, in quo uersantur non sine errore mãgno, nec minus quam qui in græcis literis attice scribere, & dicere se illis temporibus, quibus floruit Athenis Orator decepti sunt. Hodie perlegi aliquot eius potius desiderij, & opinionis, quam eloquentiæ, propterea quod si dilucide, non grauiter, si utroq; dicunt modo, non numerose tamen, Quare satius est admirari Ciceronis locutionem, quã se sperare tantam ubertatem dicendi, uenustatem, maiestatem consequuturum, itaq; amemus libertatẽ loquendi, & scribendi pro uirili latine, & ornate.*

Quoties ad te ſcribo, uellem ornatiſſime ſcribere, at quidem uis ingenij non uſu diu ſueta quod poteſt, maxime confert, Tu uero quaſi a primis cunabulis uerſatus es in hoc foro, inque hoc literarum mitiorum genere, iccirco noſti candide, & eleganter ſcribere uno, eodemque perpetuo ſtylo tibi, tuæque paleſtræ innato, & proprio, aut arte mirabiliter parto, quod potius crediderim non ſolum quod nemo dicendi magiſter naſcitur, ſed etiam, quia ſummis uigilijs, & lucubrationibus in eo ſtudio ætatem conſumpſiſti, ſi porro hoc bene dicendi, apteque diſtincte, ornate munus & facultatem tribuo, nihil arroganter facio, ſed tuo id iure quodammodo uendico. Nam diſſerendi, & dijudicandi artem, & philoſophandi ſcientiam multis concedo, hac ętate autem nemini æque, ac tibi latine dicendi, & conſcribendi facultatem attribuerem, niſi Longolius, Sadoletus, Nauagerius in hoc numero haberi poſſint, Veruntamen in Longolio illa imitatio non probatur doctis, ſi quidem quanto putat accedere propius ad Ciceronis facundiam, tanto recedit longius, In Nauagerio non uſquequaque numerus, & candor cernitur, in Sadoleto non perpetuus ſtilus, Niſi item Eraſmus, & Budæus æque numerari poſſint, In quorum uno deſidero latinitatem, & in altero dilucide dici, & ſi uterque ſit in primis eruditus, & græce bene doctus. Sequar igitur meum, ut inſtitui

enco-

encomium latinitatis tuæ, quam obseruaui in tuis literis sæpe, & quam nec nimis ualde unquam, nec nimis sæpe laudare possum, quæ laus & si pendet etiam ex alieno iudicio approbante quod sentio, tamen sine iudice te arbitratu meo diligam. Hoc situm est in me, nec reddenda est ulli ratio, cur te plus, minusue, aut breui uel diu diligam, Vidisti tamen causam amoris, cui debeo, propterea quod me homini de uirtutibus meritissimo conciliauit, & gratioso adiunxit. Reliquum Victori Trincauello obsequi non possum. Haud enim integrum. Iam fere dimidium operis impressum est. Doleo iacturam fieri, sed bono animo sit uelim. Nam qui Græcos Philoponi commentarios legere maluerit, non emerit latinos a me nuper factos, Quod si etiam antequã cœpisset Scoti officina hos commentarios imprimere, ad me uerbum scripsisset, forte hos continuissem domi, quoad bonam græcorum partem uendidisset, Nunc non meum est interpellare Scoti desiderium, neque intermitti iubere sine magno impressoris detrimento. Ea item de re nuper ad me Tramezinus scripsit. Verum si quid potuissem Trincauello & Tramezino concedere, id omne tua causa fecissem. Assumas quæso hoc onus, si iustum, aut æquum tibi uidetur impetrandi a Scoto, ut aliquantisper cœptũ opus suspendat, & intermittat imprimẽdo quoad illi aliquot uolumina uendiderint, persequi, & id erit

tibi

mihi pergratum, quia puto tibi id fore gratissimum, De Lazaro Bonamico, & de uestra mei honorifica mentione amo utrunque sane uehementer. Heu quam sim fortunatissimus homo, de quo uobis sit cura, & mentio sed uos obsecro, & obtestor per lares, uirtutem, ut debitorum meorum aliquam rationem habeatis, quoniam si ad cumulum qualiscunque exigua accessio fit, non habebo sponsorem, nec uadem, nec ipse creditoribus satisfacere potero. Vale M D XXXII. De mense februar. Bononiæ.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicineq; professor.

ALBINO LVDIMAGISTRO.

QVAM tibi bene, Quàm maxime fortunatis, & principibus te gratiosum fore, quam te diu ualere cupiuerim, ex teipso, me tacente, intelligere potes. Nunc gratulor tibi & gaudeo te ab Hercule Gonzaga amplissimo Cardinali amari & plurimi fieri, quod & si cognoui ex uerbis amicorum tuorum, tamen præclarum huius

rei

rei in testimonium fecerunt nuper literæ tuæ. quibus nihil iocundius, De amore tuo erga me non fuit necesse exarare cum testificatione ueteris nostræ consuetudinis, iampridem monimentum extitit, idq; in memoria incisum, uel potius uideas uelim si quid possum, & iube. Ab amico tuo multam tibi salutem. si Mantuam proficisceris, Endimionem meo nomine salutabis. huic item a Ludouico Bucce ferreæ salutem dixeris. Endimion est intimum uiscus Cardinalis hodie, qui cum amicitia tibi intercedat, & gratia necesse est, Vtere dexteritate tua apud omnes, ut his te reddas charum, & per amabilem. Multum uendideris, & parum emeris. Curiæ hæc una sapientia est. in qua nihil excellentius, quam dolo uicisse dolum, & uno uerbo: finge, ac simula, quoniam uiuitur arte. Vale M D X L I I. De mense Septembri.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicineq; professor.

TRINCAVELLO PHISICO Grece, Latineq; doctissimo.



EXTREMVM fere literarum, quas paucis ante diebus ad me Bembus misit me coegit te de Philoponi commentarijs latine imprimendis facere certiorem. Et sine Bembi peramantis tui, & utriusque nostrum amicissimi authoritate, tua apud me multum ponderis habet, Vel paucissimis poteras significare mihi aliquid de tua uoluntate, & continuo respondissem literis tuis. Iampridem opus est in manibus Calcotypi. Meum non est, & si a me editum sit. Accepi nummos aut coronatos quinquaginta a Scoto. Tradidi commentarios, & pene dimidium impressioni mandarunt Typographi. Non amplius sudant, & algent hæc apud me commentaria. Nec meum

est,

eſt, ſi uellem rurſus recenti penſare trutina. Hac de re ſcripſi ad Bembum, qui ſi æquo Ioue poſſet, ab officinæ magiſtro dilationem abſoluendi operis obtineret. Vtinam me præocupaſſet uel leuiſſima admonitio tua, Equidem non dediſſem editionem meam antequam tu redemiſſes bonam impenſarum partem, quas in græcis imprimendis conſumpſiſti, Quamquam exiſtimo non fore hanc noſtram latinam impreſſionem tibi diſpendio, Qui græce didicerit, commentarios græcos potius in manibus ſumet. Ego nempe, qui latine conuerti, græcos malo, quam meos latinos legere. Spera igitur fore permultos eiuſdem opinionis, & decreti. Conuerſi quidem ſunt iſtiuſmodi ob græcarum literarum ignaros, ut deſerant illos commentarios, qui aliquorum ſomnia, & non Ariſtotelea ſenſa interpretantur. Cœterum propediem tradam impreſſoribus Topica Ariſtotelis cum Alexandri commentarijs primus ipſe interpres. Vnum dolendum, quod manca uideo, & mutila, necnon conciſa. Diu eſt, quod omni ſtudio, & diligentia, quæſiui meliora, nec reperi, & quæ nactus ſum librarij manu ſcripta, hæc ipſa legi deprauata magis, & corrupta ſæpius. Nec te celabo diu me ancipitem fuiſſe, cum in utranque partem aut uertendi, aut non uertendi occuriſſent mihi rationes. Vicit ardor officinæ, quo flagrabã, qualiacunque eſſent, eius

modi

modi typis, & formis mandare. Dudum me oppressit summa xl. coronatorum, obsignauimus pactum, obligatæ fidei deesse nõ possum, idem pepigi de libris sophistarum, interim si quid est, quod cupis retardabo edere atque consignare manibus officinæ. Vale & Tramezino a me dices salutem. **MDXXXII** *De mense Octobri.*


LVCILLI PHILALTHEI

Primi Tomi

Liber Tertius Epiſtolarum nuper editus.

Lucil. Philalth. Artium Med. profeſſor.

HIERONYMO NIGRO Grece Latine facundiſsimo.



I SEMEL poſſem te de facie uidere denuo, ut ſpectrum tui in corde, & in oculis fero, quod certe animo concipio, id oculis perſpicerẽ luculentius, ſed facit inter capedo locorum, ne in te intuear, teque alloquar, & ſi facere nequit, quin de te ſæpe cogitem homine mihi amiciſſimo, & in primis erudito. Habeo

enim phantasma in ea facultate animi, quæ suggerit memoriæ monimentum ueteris inter nos necessitudinis studiorum, in quo sunt incisa altius exempla uirtutum tuarum probitatis, modestiæ, prudentiæ, consilij, atq; doctrinæ tuæ imago singularis, quibus quoties uolo, me oblecto memor tui, & consuetudinis nostræ, inde ob oculos obuersari uidetur figura uultus tui cum quadam incredibili lætitia de dignitate illius nuper, quem semper coluisti, & laudibus extulisti ad cælum, & tibi tanquam numen proposuisti in terris. Optatissimo nuncio certior factus sum, Contarenum nostrum in collegium Cardinalium cooptatum cum summa Pauli III. summi Pontificis nunq̃ pro diuina sua prouidentia, & pro sua singulari uirtute laudati satis commendatione, omniumq; pontificum uerbis, & suffragijs, Quid quæris? Amicum, & peramantem patronum habes eo euectum celsitudinis, quo prouehi semper sperasti. Nũc Romam redire licebit, a qua discesseras a preda, a milite diripiente omnia non sine iactura suppelectilis tuæ, & magno incommodo, Quinimo audio te ab epistolis Cardinalis fore, de qua accessione tibi gratulor uehementer, sed non possum non conqueri de tuo silentio, quippe qui taces tantum mysterium lætitiæ nostræ, nec amicissimo tui uel nuncio, uel literis significas, Iccirco expecto me liberes hac querela quã primum uel schedula de hac dignitate homini meritissimo

ritißimo collata. Confirmabis tuo teſtimonio animi mei uoluptatem, & lætitiam, & debebo id tibi, præcipue, ſi addideris cum quo elogio Senatus Venetus eũ ipſum approbarit, Nam ad me allatum eſt in medio Senatu nuuciatam fuiſſe illi dignitatem, ac partim hanc collaudaſſe uoluntatem ſummi Pontificis, partim doluiſſe amiſſo a Rep. tãto Senatore, qui optimis conſilijs patriam iuuabat, Verum patria nunquam ciuem bonum, patricium optimum, Senatorem prudentißimum poteſt amittere, quoniam ubiq; ſemper eſt illius memor, & defenſor, Vbiq; opem in aduerſis affert ubiq; Reipub. operam nauat, Et precipue Gaſpar Contarenus, qui in omni philoſophia didicit quo animo eſſe oportet ſemper ſuam erga patriam. Tantum porro abeſt, ut eum illa amiſerit, ut potius ſibi tanto munere, & ampliſs. gradu hũc deuinxerit. Reges ſolent quotannis quibuſdam Cardinalibus pendere honorariã ſtipem, ut habeant qui in comitijs põtificum patrocinium ſumant eorum, Senatus autem Venetus id obtinet gratis ob fidem, & conſtantiam ciuium, Quare eam uocem Senatoriam de amiſſo Cõtareno non duxerim prudentem. ſi quidem amittuntur etiam domi, & in media urbe ciues male de patria meriti, atq; praui. Boni uero nuſquam gentiũ deficiunt a laribus patriæ, Vt ille nunquam defuit natus educatus, ſumpta uirili toga, in omni munere, neq; poſthac deerit, cum etiam Reip. hanc dignitatẽ

acceptam referat, & agnoscat pietatem, & amorē patriæ suæ, Quis audito nuncio Senatus non cæpit uoluptatem? Quis non gratias Paulo III summe de uirtutibus merito non censuit habendas? Quis non congratulatus Contareno hanc illi dignitatem accidisse multo ante præuisā, & optatā cēsuit? Quid de uniuersæ urbis, & populi lætitia, ubi rumor ea de re increbruit dicam? Pueri, adolescentes, lectissimæ feminæ, Matronæ nobilissimæ docti, indocti æque consilium summi Pontificis collaudarunt, quod homi nem, & patritium integerrimæ uitæ, doctrinæq; sin gularis illustrissima pene summa dignitate merito p ornasset, qui non solum collegio Pontificum, uerūetiā christiano orbi usui, & ornamento fore posset. Hinc ad nos propere nuncius uenit de concursu ciuitatis ad domum eius. Taceo affines, & amicos, quibus est mos congratulatum ire, Tu tamem de his omnibus nihil ad me perferri mandasti, qui tibi persuadere quiueras quanta me affecisses lætitia, si uerbo, uel literis id mihi significasses, nisi hoc summum gaudium sic tui animi uim occuparit, ut absentum nulla esset apud te ratio, Et nos cor, mentemq; habemus, ac sensum uoluptatis, & lætitiæ. Hæc scripsi ad te, ut uerbum facias cum Cardinali de obseruantia mea erga illum, & quo sim perfusus gaudio, ubi mihi id compertum fuit, Et enim nihil ut erat mihi optandum magis, quam audire illum huc peruenisse dignitatis,

ita

ita nihil iocundius a primis cunabulis uitæ usq; ad id æui obtigit mihi, quam illi mandata, atque tributa dignitas, itaque de omni triumpho, & statu eius ad me quicquid erit, curabis perferri, Interea increpet Lyra cum dulci carmine lætis, & pangat Niger carmen diei, quæ nobis illuxit serena & tranquilla perpetuo memoranda, de qua æque, ac de natali Mecænatis cum nostro Poeta Horatio canerem. Vale M D X X X V. De mense Iulij.

LVCILL. PHILALTH.
Artium, Medicinęq; professor.

GASPARI CONTARENO Nuper creato Cardinali amplissimo.



C*VM Deum Opt. Max. Sæpe præcatus sim, ut tui causa aliquãdo illi immortaleis gratias agendi mihi daretur occasio, nuper præbita est maxime quidem, cum te in summo magistratu, & celsissimo honoris gradu conspicio, quem nõ tam meritis tuis, magnitudini consiliorum tuorum, integer-*

rimæ uitæ Maiestati, incredibili prudentiæ, singulari doctrinæ, quam opinioni de te publice, & priuatim conceptæ, usui futuro, & suæ rerum gerendarũ per te prouidentiæ Paulus III. Farnesius summus Pontifex cæteris habitus doctior elargiri decreuit, qui sane semper Christianissimi Imperij Augustus Pontifex, & felicissimus ob memoriam præclare gestorum sempiternam cum in tabella animi sui conscripsisset, & numerasset qui in Europa essent optime literati, doctissimiq; uiri, quiq; suis ornamentis potuissent amplificare, & illustrare etiam, atque etiam collegium pontificum celebre quidem toto orbe terrarum, & tuam personam perscribi mandauit dies, noctesq; meditatus, quomodo e tua serenissima Repub. & antiquissima te quiret in suam adducere. Vt porro est prudentissimus senex diu in omni philosophia in politioribus literis, & in administranda pontificia maiestate uersatus sic se gessit, ut te optimum Senatorem cum summa patriæ tuæ, & Senatus gratitudine, beneuolentiaq; ac gratia euocarit ad conclaue principum, in quo quia sæpe de maximis rebus, quæ ad uniuersum orbem pertinent diligenter aguntur tui consilij potius fuit habenda ratio, quam in comitijs rogatorum, & senatu tuo dignissimo, ubi sæpe de magnis differitur rebus, non æque tamen, ac in congressu Pontificum, Quare eo te acciuit, & accersiuit maximus Pontifex, ubi ingenij tui acumen, pru-

dentiæ

dentiæ uim, uſus, connſilijq; excellētiam mirabiliter poſſes oſtendere, Quæ omnia non ſine encomio patriæ tuæ, non ſine ſplendore Contarenæ gentis, non ſine tui fama illuſtri geſta ſunt. Magna enim laus Reip. Venetæ, quod huiuſcemodi partus edat, & tui quam ſimillimos plurimi faciat. Maximus ſplendor nobilitatis, ac familiæ tuæ, quod te mortales cernant in celſo, & illuſtri loco conſtitutum. Summa deniq; nominis tui fama, & uirtutum tuarum præmium uidetur ibi conſiſtere, unde ſpectata uirtus permanat ſermone multorum ad extremas uſq; gentes, & nationes. Erat enim doctrina tua tanquam gemma in elaborato anulo aureo infixa, cum domi tua ſtudia colebas, cum populo Senatuiq; Veneto inſeruiebas, nunc uero plane, uelut adamas gemma ipſa eluces in conſpectu Dei primum, Deinde uicem eius gerentis in orbe terrarum, mox regum & principum, ac uniuerſi terrarum ambitus, Quid quæris? cum tamen inſperato, ſine ulla opera mortalium, & amicorum, ſine arte, & nummo rolatus ſis inter Cardinales, ut que ad me delatum eſt cum tanto conſenſu eorum principum Chriſti Vicatius te nominauit, aſſumpſit, & numerauit tandem in eo numero, ut nemo eſſet, qui fere uultu ingentem lætitiam non oſtenderit certo ſciens tantum benefitium, quaſi iure meritorum in te digne conferri, & uſui, honori, ornamento fore tanto collegio, præſertim hiſce temporibus, quæ la-

trant in eum ordinem immerito, ſiquidem ſi quis ordo eſt ullus in Europa, qui bonas literas, quique bonos magis complectatur, & honeſtet, hic eſt ſummæ Religionis, & pietatis, Nec aliquorum facinora emetiri conuenit, dum probis laceſſunt collegium, propterea ꝙ nunquam gentium paria ſunt cunctorum hominũ ſtudia, potius immo intueri in eos oportet, quorum præclare geſta decet eſſe poſteritati, & cuiq; prudenti exempla, Veruntamen ſenex noſter, & ſummus pater Paulus III. quo maledicentium os concludat hoc ſeculo aliquot aggregauit, quos omnia Gymnaſia confitentur eſſe primarios in multiplici doctrinarum uarietate, Es tu (Ampliſs. Contarene) non una de cauſa uir admirabilis, & peramabilis ſemper, Quæ corporis ſunt tui, animi pulchritudinem indicant, Nihil apparet in ea compoſitione & aptiſſima fabrica membrorum, ꝙ indicio ſit mali moris, ſi libello de phiſiognomicis Ariſtotelis fidem præſtare ego, & tu debemus. nec memini in codicibus de hiſtoria animalium ſummi Peripathetici, neq; in Plinianis uoluminibus locũ me legiſſe, qui tibi aliquam notam poſſit inurere, ne quidem Momus, ſi uellet, nec Zoilus carperet, qui neſcio quid notauit in Socrate, attamen falſo, & inepte. Itaq; magno inditio corpus eſt tuum morigerati animi, & prudentiæ. Inſtrumenta enim ingenium, & induſtriam artificũ ſæpe demoſtrant, æque mẽbra corporis tui cum ipſa

ratione

ratione, atque humana Musica quo animo, & qua mente præditus sis, sapiente plane, præseferunt, Hinc illa animi tui in corde imago mihi inscripta est uel insculpta potius, quam cum libet contemplari meum est tui absentis maxime, Nec mirum, ea uis est sensus præcipue præstantioris ut scis, & dudum in principe philosophorum de anima, eiusque facultatibus disserente annotasti, qui rerum formas admittat sine materia, Et literæ obsignantur huiusmdoi atque membrana a typographo, Et in somnijs amicus ea forma uideri solet, qua perspectus, & cognitus fuit. Quare nulli docto, & in primis erudito mirum sit, si sæpe uideare mihi ante oculos obuersari, Oppressa est altius memoria formis tuorũ erga me meritorum, & tuarum perpetuo laudandarum uirtutum imaginibus. Etenim ab ineunte adolescentia ut ingenium admirari meum cœpisti, & indolem laudare, semper me cohorratus es, ut pergerem quod cœpi studio, & diligentia persequi. Nam fore præsentiebas, ut breui possem de me maiora, & meliora promittere, quod nescio an hactenus sim consecutus, an indies consequar. Tu id uideris, Hunc mihi sat esse uideo, si tibi persuasero, quod quidem sine meis literis persuasissimum esse puto præter te fortasse nemini tantæ dignitatis accessionem chariorem & iocundiorem fuisse, quam mihi optanti, & percupienti semper tuæ personæ optime, quia sentio a te ama-

ri mirifice, atque apud te in aliquo meo numero esse existimo. ingenue scribo & quod sentio plane, atq; uere, & ex animo gaudeo te esse cooptatum in collegium Cardinalim, inque collegium famæ, & nominis tui sempiterni cum elogio Reip. tuæ, & testificatione meritorum tuorum, quæ si sperabam tandem euentura humanitati tuæ, tamen maius est euenisse, deque hoc euentu tibi, patriæ tuæ, pontificum collegio congratulor, qua de congratulatione, deque lætitia etiam ad Hieronymũ Nigrum humanissimum uirum, & mei amantissimum, quo ille item illustre fecisset letitiæ meæ testimonium, scripsi diligenter. Crediderim (ni fallor) perfunctum officio, de quo illi debeo plurimum, Hunc & si lex amicitiæ mandat, & uetus nostra studiorum necessitudo postulat, ut omnibus modis tuæ commendem dignitati, tamen opinor non necesse, quia ille per se amabilis habet unde se commendatum tibi reputet, Et dudum domesticus, familiaris, intimus penetralibus, atq; recessibus cordis tui. Vale tui Deus opt. diu fortunet dignitatem. MDXXXV. Tertio Idus Quintilium.

LVCILL. PHILALTH. artium Medicinęq; professor.

PETRO BEMBO. S. P. D.

GASPAREM Contarenum ciuem nobiliss. Senatorem grauiss. doctissimum uirum creatum nuper Cardinalem ad me allatũ est, & gaudeo uehementer, id tibi quoque puto notissimum, & iam illi congratulatum te esse, Expecto de tua persona similem optatissimum nuncium propediem, quippe cum sis in eodem albo huius temporis literatorum, & uideare omnibus tibi diuturna serui tute hoc dignitatis promereri benefitium. Nam quo tempore primum cœpisti ab epistolis Leonis X. Maximi Pontificis esse, omnia tua studia ad obsequiũ pontificij collegij contulisti, nec munera Reipub. tuæ magni fecisti, modo summo pontifici cum laude inseruires. Et potuisti nimirum in tua patria muneribus perornari, Nihil autem tibi gratum uidebatur potius a primæ iuuẽtutis ætate, quã curiæ Romanæ operã tuã polliceri, et cõsecrare oẽ tẽpus uitæ tuæ cũ impẽsa ẽt præcipue a primis auspicijs seruitutis tuæ.

Iccirco

Iccirco non possum adduci, ut exstimem te præteriri eum uelut filium, qui domi omnes ferebat labores, nec pro se unquam increpuisse chorum, aut semel simphoniam, ceu pro fratre audiuit prodigo, qui quadã profusa licentia omne exhausit patrimonium. Quamobrem spero breui tibi gratulandum esse de adepta dignitate, ac eo nomine etiam, atque etiã Paulo III me debiturum santissimo patri, nec tam amicorum causa, quam merito rei literariæ, quam in te honestando uidetur summus pontifex cohonestare etiam professionem eius, interim bono sum animo, & spei confido meæ, nec puto me fraudatum iri, & si certo scio abs te nõ admodum expeti metuente, ne tuis studijs, tuæ libertati, & consuetudini ea dignitas sit impedimento, ob id nunquam tibi fuit quæsita magnopere, nec curis, & studio diu a te expectata, proinde ualde confido tum ad nos uenturum nuncium, cum nemo cogitabit de hac accessione, de qua quidem suo tempore fusius, nunc tacere non possũ uim præsagæ mentis, & quid breui præsentio, Reliquum ad Contarenum, quem prope ab ineunte adolescentia tanquam patrem uehementer amaui, & me illum amauisse gaudeo, non quod sperauerim aliquid ab eo consequi, aut etiam sperem, sed quinimo quia undiq; micat uirtutibus, quarum ergô cunctis amabilis est. Existimaui semper ad ineundam amicitiam, & conciliandam sibi cuiusq; beneuolentiam nihil potius, et

anti-

antiquius esse uirtute. Nomen uirtutis impresentia funditur latius, nec sola uirtus a me intelligitur, quæ in mediocritate insideat, quinimo & quæcunq; rerum optimarum ars, & maximarum rerum disciplina complectitur. Omnis namque ars rerum honestarum ingenua, & liberalis est aut recte scribendi, & loquendi græce Grammatica, aut Rethorica de præceptis oratorijs, qua cum certā affinitatem iunxere Musæ, aut Dialectica de ui differendi in omni rerum genere, atque dijudicandi, aut Arithmetica de facultate numerādi negotijs apta aut Musica dijs imortalibus laudandis, & recreandis animis idonea aut Geometria dimetiendi magistra ædificandis etiā ædibus opportuna, aut Astronomia syderum ab obseruatione profecta disciplina, cum qua est Geografiæ magna necessitudo, totidem nimirum animi facultates, & ornamenta homine libero digna numerari solent, præter quæ etiam philosophia omnis quadriportita, uel de differendi ratione, uel de naturæ mysterijs, uel de moribus, & legibus, uel de rebus diuinis. Medicinaque, & Theologia referantur inter uirtutes animi tanquam optimi uiri condimenta, quarum aliquot in nostro Contareno (mi Bembe amantiss.) sic nitent, sic fulgent, ut nobis non solum qui illum prope contemplamur, uerum etiam longinquis, exterisque nationibus magnæ sit admirationi. Adde eum Græce, & Hebraice scire, Adde

edi-

editionem nuper fere de elementis in manibus eruditissimorum uersantem, Adde integritatem animi, sinceritatem colloquij, ueritatem consiliorum, prudentiam, constantiam, continentiam, cæterasque uirtutes tum heroicas, tum diuinas, & noueris hominem ætatis nostræ aureæ cum Hesiodo magnum miraculum, etiam fateor ingenue me inuidere illi tantam beatitatem, iccirco nemini mirum si tot gemmæ dudum intra recessus telluris abditæ nuper inuenerint hunc nobilissimum, & diuinum diuinarum quidem gemarum mercatorem Paulum Tertium, sed primum augusti imperij Christiani principem, qui cura, & prouidentia eas conquisiuerit, & in lucem omnium gentium, & pene in conspectum omnium populorum conferri mandarit. o ter beatissimum orbis Christiani principem, o diuinum, qui Ecclesiæ sane illuxit, ut illustraret doctiss. hominum studia, uirtutes extolleret, iustameritis præmia conferret etiam in medijs fluctibus tempestatis cum sedet in puppi, & in manibus tenet summa gubernacula rerum, similesque Contareno remiges procurat habere, ne naufragium fiat patrimonij Chrsti, ne maiestas Italiæ obruatur barbaro, heretico scilicet oppugnante, unde tibi persuadebis neque tuas amplissimas uirtutes iacere posse, quarum ille nullam rationem habeat. Breui spero fore omnino, ut eximia tua probitas ingenij, præstantia,

tia, iudicium maximarum rerum, insignis doctrina, fama perpetua, aliæque uirtutes animi tui magnam sint authoritatem Reipublicæ Christianæ allaturæ, ac magno illi usui. ornamentoque futuræ. Quare expecto auidissimè, & abs te peto, si proficisceris Venetias Contareno congratulatum, ut meis honorificentissimis, amantissimisque uerbis. (Mea tu esse finxeris) illum salutes, & de cooptatione in collegium principum eidẽ meo nomine gratuleris, Et misi meas ad illum hac de congratulatione literas perhumaniter scriptas, quæ meum erga illum præseferrent amorem. Saltem elicies qua gratitudine erga me ille sit, De omni tuo statu quæso me facias certiorem. Vale. M D XXXV. Primo die sextilium. Bononia.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicinęq; professor.

LAZARO BONAMICO Literatissimo.

DIVTVRNI silentij nostri causam ignoro, cum annorum quatuor curriculo, & interuallo nullum uiderim uestigium literarũ tuarum, uel tenue quidem, Non ob id duxerim conticuisse interea ueteris inter nos mutuæ beneuolentiæ memoriam, Quoad me attinet, formam retinui, & amorem erga me tuum semper plurimi feci admiratione quidem maximarum uirtutum tuarum, quibus nulla unquam apud me fuit persona antiquior, & maior authoritate, nec quæ posset me magis promereri, aut etiam promerita sit, quam tua per ornata eiusmodi, ut tua humanitate, comitate, prestantia ingenij, doctrina singulari facile queas homines afficere, & tibi deuincire. Me autem obligasti, propterea q me diligere cæpisti fere unice non ulla prebita meorum erga te meritorum occasione, & quia me dignum iudicasti tua beneuolentia, & tua gratia,

cui

cui me etiam esse charum sæpe gauisus sum, & enixe operam semper dedi tibi, ut quem apud te me esse uo luisti, perpetuo istiusmodi contineres. Nam id existimaui ad id, quod maxime mihi optandum statui propius accedere, & in partem fortunæ meæ accepi tuum beneuolum erga me animum. Alij hominũ fauorem percupiunt, alij diuitias admirantur, alij dignitates suspiciunt, ego semper colui tuas uirtutes maxime, atque mirifice extulissem laudibus, modo potuissem, attamen non destiti præstare quod noui, & potui. Testis es tu omnibus hac in re maior, & grauior, quinimo decerne me nunquã laudibus tuis defuturum, & stabo, atque parebo decreto tuo. tametsi absque decretis tuis animo constitui quicquid possum doctrinæ tuæ undique micanti, & maxime lucenti promittere. de quibus & sæpe alias, atque cum dabitur idoneum tempus, nunc lumen amicitiæ nostræ, lumen ætatis, & scientiarum Gaspar Contarenus inter Cardinales relatus est non solum summi Pontificis gratia, atque pontificum consensu, qui pro Contareno cooptando in collegium suum certatim suffragia dederunt, uerumetiam cum incredibili com mendatione Reip. Venetæ, & Senatus, qui factum approbauit, & censuit tantã dignitatem in hoc homine bene positam, & collocatam. Magnum quidem, & illustre testimonium promeritorum eius, & hoc nobis tãto gratius, & iocundius, quanto eui-

dentius

dentius a patria sua profectum est. Certo scio quam ames illum, & quamdiu illi optasti hanc dignitatem, qui iudicabas ea sæpe dignissimum. Nunc tui perfecti iudicij, & tuæ bonæ fidei habes exitum, de quo, & non solum hominis causa de me meritissimi tibi ualde gratulor, Equidem præsensio tua diuina fuit, & iam præclara est. Nemo non potest non perspicere diuinitatem animi tui, itaq; debes tu Deo præpotenti infinitum cumulum gratiarum a quo tot munera accepisti gratuita, & cuius uoluntate cernis amicum eò aduectum excellentis dignitatis, quò tanta uirtus spectabat, quì cum si de me sermonem feceris, rogo illi ostendas nihil in uita mihi hoc eius gradu accidisse iocuudius, deq; eo a me tibi nuper scriptum cum magna lætitia, Non dubito, quin Cardinalis non interpretetur unde nascatur uere lætitia, qui dudum me nouit, & indolem ingenij mei sæpissime collaudauit, & mirifice dilexit, sed tamen tua commendatio apud illum multum ualebit, quippe cũ in sermone ille suo de industria tua, de scientia, de morum probitate amantissime, & perhonorifice mentionem facere consueuerit, nec dubitarit te appellare uere sapientiæ amatorem, iccirco in hoc munere pro tua, quæ est benignitas obeundo me iuueris, & forte illi feceris gratum, quoniam libentissime de me dici honorifice audit, & præcipue ab hoc genere personarum, in quo tua excellẽs putatur. Postremo ꝙ

tu

tu maxime unus me cohortatus es ad peruestigationem reliquorum commentariorum, quos conscripsit Philoponus de motu auscultatorios, propterea quod quatuor primos solum, qui græce impressi etiam circunferuntur lati ne conuerti, quæso, & obsecro, ut de illis inuestigandis uerbum cum illo facias. Memini aliquando illum se facere mihi recepisse quo in meas peruenirent manus. Itaque experiundum est an in eius bibliotheca extent, & mihi concedere uelit. Nam functus munere ipse, continuo curabo restituendos, Interim dabitur a me opera usui, & commodo Gymnasiorum, ut ex nostris lucubrationibus capiant fructum illius libri merito auscultatorij, quē nosti abstrusum, & reconditum, sineq; interprete captu difficillimum. Et tu tuis uerbis calcar adhibebis, ut id faciat libentius, quo diligentius persuaseris illi faciendum. Si mihi fuerit commodo iter ad nos, ueniam, & maxime quia moueor desiderio uidendi Cardinalis, & coram illi congratulandi, Vbi occurrat tibi Bembus illi a me dixeris salutem. Vale. M D X X X V. De Mense Augusti. Bononia.

HIERONYMVS NIGER Græce, & Latine eruditiſsimo.

LVCILLO PHILALTHÆO artium, Medicinæque Doctori.

CARDINALIS utriuſque noſtrum amantiſſimus & quas ad illum, & quas ad me nuncio dediſti literas, perlegit ante cœnã libenter, & auidiſſime, & de tua gratulatione incredibilem cæpit uoluptatem. Te amat, quoad cognoſcere poſſum mehercle unice, & id certo ſcio bonis coniecturis. De tuo ingenio multum pollicetur, de quo nec finem dicendi fecit. (Aderant multi Senatorij ordinis) donec cænare ingreſſi eſſemus. Vt illi, ſi quid ad te uellet me ſcripturum indicaui, plane mandauit tibi ſignificandum ſe cupere te Romam cũ ipſo profecturum, tuo tamen cõmodo, interea adornabis iter, nec ad nos ueneris; quoniam per agrum Bononienſem recta Romam cogitat. De Philopono a te latine facto bene ſentit, & ego illi omnino aſſentior. Quæ de ſummo Pontifice Paulo III. literæ

tuæ

tuæ diligenter, & prudenter ſcriptæ addiderunt, mirum in modum comprobat. Adiunxit etiam maiora in eo eſſe, quæ cuncti mortales ſuſpicere, & colere deberent. Verum tibi huiuſmodi laudationem aliquando uſui fore ſperat. Interea hortatur, ut quæ ſtudia ſuſcepiſti humanarum, & diuinarum rerum animo, hæc diligenter excolas. & tibi perſuadeas habere perſonam, quæ te mirifice amet, & quæ cum poterit perpetuo te honoribus, commodis, beneficijs augebit. De noſtro aduentu faciam ego te certiorem, & ab ipſo Cardinali multam tibi dixerim ſalutem. Hæc hactenus eius iuſſu. Cæterum uenio ad eas literas, quas ad me perferri uoluiſti, in quibus non fuit neceſſe oſtendere tuum erga me amorẽ, tuaque deſideria fortunarum mearum. In eodem enim nummo percuſſum, atq; inciſum eſt tui, & mei ſimulacrum, Nam ſi phaſma retines mei in ære cordis tui, ego uiciſſim tui in corde meo dies, noctesq́; gero ſic, ut ſiue uigilem, ſiue dormiam nihil, niſi quantum tibi uſui, & honori eſſe poteſt, mecum animo cogitem. Fac periculum quæſo. & erit tibi ipſo perſpicuo luculentius quem in modũ mirificus amor erga te meus ſe geſſerit, & oſtenderit ex omni parte perfectum, qui ſane more Dei cum nuſquam ſit ubiq; tamen erit & præſto quidem, Quæ enim a me officia pro te gerenda ad id æui uſque poſtulaſti, leuiſſima arbitror. ſed iube mihi maiora, & peruidebis, an te abſentem

si non corpore, Hoc enim minime possum, animo certe quantum queo complectar, & didicerim mandata tua facere, siquidem nihil existimo non deberi uirtutibus tuis, præsertim cum hac adolescenti pene ætate, aut prima iuuentute tu tibi tantas disciplinarum opes cumulaueris, quantas uix senex aliquis potuit, Itaque in te est, quo profecto gaudeam, in me autem, nisi quantum tua cernit humanitas nihil reperio dignum, quod tibi lætitiam, & uoluptatem afferat. Iampridẽ meditata, & collata sunt mea, & tua merita. Aeque sane paria sunt, atque res, & uerbum. Nam semper es, aut maiorem ætatis partem uersatus in grauioribus disciplinis, quarum uerba cedunt sententijs, ego uero in leuioribus, unde nisi merum lenocinium, aut fucum uerborum hausi, & utinam hauserim, Ac si inanis elocutio, & illa bene dicendi, aut scribendi ratio peneque puerilis, cui non subest grauis sententia, neque tecum audeo certare sermonis lautitia, facundiaque dicendi, Hæc scribo, ut sentio, atque fateor neminem habere, qui me uincat in hac uoluptate collatæ nuper Cardinali nostro dignitatis, non quia mihi cum illo solum sit peruetus consuetudo, uerumetiam quia multo ante præsensi illum fore hoc honoris gradu dignissimum, & ornamento, usuique Cardinalium collegio, Homo enim semper fuit maximæ frugi, prudentiæ, & altissimi consilij, ubi Senatum præcipue conscendere cæpit,

& agere pro Repub. De quo commune cum iudiciũ tum encomium populi est, iccirco si omnes laudes homini sapienti debitas aggregauero ad extollendum hunc uirum, non uidebor meritis illius satisfecisse. Quare satius fuerit si me conuertero ad tua debita, cum fatearis te mihi debere maxime, Reposcam, & non sine usura quantum mihi debes. Dudum est, ꝙ tibi erat fatendum hoc debitum, Nisi soluas, breui te in ius uocabo, Dum omnes isti in epistolis, & literis profitentur se debere semper, uel perpetuo indicant euidentissime se malos debitores, quod nomen non dimittunt, atque si nominibus se obligant totidem, quot epistolarum contextus conscribunt plane se deuinciunt creditoribus magna debitorum accessione. Caue ergo te multis nominibus implices, ut queas dissoluere quantum conflasti. Hactenus iocari placuit, posthac serio, satis est, si reciproces amorem. De nostro discessu, seu de profectione ad urbẽ nihil certi, Vnum tamen certo scio sic Cardinalem accersiri Romam, ut mature properet, Instare causam celeritatis scribi summus Pontifex mandauit. In medio æstu, caneque latrante non tutum saluti, nec commodum censuit Cardinalis. Quando porro iter susceperit, quod existimo breui fore, per agrum Bononiensem idipsum fecerit, nisi mutet consilium, tu tamen non cunctaberis, quin Romam conuoles fractis caloribus, quò quidem, non desiderio urbis,

ſed potius, ut homini de me meritiſſimo morem geram reuerti ſtatui. Interim tibi de me pollicere quicquid poſſum. Vale. M D XXXV. Tertio Kalen. Auguſti Venetijs.

PETRVS BEMBVS

LVCILLO PHILALTHAEO

S. P. D.

CVM me Venetias contuliſſem Contareno nuper deſignato, aut etiam creato Cardinali cum ſumma omnium expectatione congratu latum, aliquotque dies commoratus hic eſſem, ad me allatæ ſunt literæ tuæ non plenæ ſolũ officij, & amoris, uerum etiam abundantes omni humanitate, & ingenio, quo & nihil mihi admirabilius, & nihil iocundius unquam uiſum eſt. Ecquis non admiraretur non dicam ſolertiam, ſed iam prope perfectam doctrinam tuam, & nuper excellentem, cum optatiſſimo nuncio ad me allatum ſit de laurea meritorũ tuorum, deque inſigni triumpho cooptationis tuæ in Collegium doctorum? de quo cæpi lætitiam, & uolupta-

lupta-

luptatem, nunc de tua singulari humanitate, quà ubi merita omnia uera Contareni de tanta dignitate pene recensuisti, quibus etiam maiora a te prætermissa Senatus noster iampridem uidit in homine urbis nostræ, me etiam eandem promereri decernis amantissime, & honorifice. De studijs, & uirtutibus Contareni, & quam ille nunc personam maxime gerat aptam, idoneam ad obeundum munus Pontificiæ potestati necessarium nemo est, qui me uel sit eruditior, & qui ante hanc honoris accessionem illi, quam ipse fore præuiderim. Est enim mihi cum illo non solum ob patriam uetustas amicitiæ a primis ingenij rudimentis, uerumetiam necessitudo studiorum multis officijs, & his quidem mutuis confirmata, Quibus sane rebus pene chara, & iocunda mihi æque fuit, ac illi perampla dignitas summi ordinis. Caue porro anteponas alium mihi, qui merita melius Contareni emetiri cognorit, qui penitus in hominis conditionem magis introspexerit, qui amantius, & significantius eius laudes, & promerita obseruet, & citet locis, temporibusq; aptis, qui hæc magis mirifice diligat, & nomine patriæ, cum ille quinque libros de Rep. nostra accurate ediderit, & meo nimirum, cui debeo omnia in patrem meum, & Bemborũ familiam permulta, & permagna quidem officia, Et cum ex patria nobis duobus nihil esse possit coniunctius, te illius causa, quem uideo abs te diligi mi-

randum in modū, etiam, atq; etiã amore prosequar quo nec tu me maiore queas complecti cnm tua Dialectica, quæ acutissimam ẽt oculorum ingenij aciem pōt perstringere, & mihi persuadere me esse in amã do inferiorem, qui toto sum genere amoris superior, Sed lege quandiu uis argumenta e libris topicorum, tandiu nihil concluseris de amore amplius, quam uel uernaculo sermone, uel latino cecinerim. Quoties tu locos cōmunes aggregabis ad conficienda argumenta, ego toties meas Musas excitabo, nec perire sinam mille modos, & mille flammas, quibus amor ardet, et micat. Nec una Venus, nec unus Amor, quod mihi aliquando scripsisti ex simposio Platonis. Quæso iccirco, & ualde obsecro, modo obsecrari ferras, ne me reuoces ad certandum de amore. Et te amo, amauiq; amaturus semper mirifice, quoniam firma iecisti fundamẽta mutuæ inter nos amicitiæ ingenteis, & ætatis tuæ incredibiles uirtutes, Cui nam in animum caderet, aut quis arbitraretur te Encyclopædiam, orbẽ illum ingenuarum, & liberalium artium tam breui consecutum? O sublime ingenium, de quo ego, & Lazarus Bonamitus plura cū summa studiorum tuorū prædicatione corã Cōtareno, & Polo Britãnico Cardinali artibus, & uirtutibus claro, & a Regibus oriũdo ipsi cōtestati sumus. Tū erat frequens Polus apud Contarenū, & Lazarus Bonamic. mecū istuc domũ Contareni uenerat ẽt illi gratulatum, Cupit Polus

am-

amplis. te cognoscere. Gratū Contareno, & mihi feceris, immo gratiss. si ad illum literas tuas miseris, & homini optime docto plane amabili uehemēterq; omnibus probato aliquando operā dederis, ut te diligat, deq; te honorifice sentiat, & nostrum iudiciū comprobet. quæ sane cōprobatio apud literatos, quos tu plurimi præsertim facis, plurimū ualebit, Interea si Romam proficisceris quô te profecturum audio, omnino efficiam, ut cum Iacobo Sadoleto Carpentoractis Episcopo humaniss. suauiss. & in primis docto, quî cum mihi perpetua fere, ne dicam peruetus, & diuturna, coniunctio, & studiorū necessitudo est consuetudinē, & gratiam ineas, initamq; perpetuo contineas. Et is est philosophiæ, & perpolitæ doctrinæ amator singularis. Cæterum tuis quoq; uerbis congratulatus sum Contareno. Idipsum fecit & Lazarus Bonamicus, cuius cognomen nunq̃ te fraudaturum puto, nec defuit officio. Petijt quatuor libros Philoponi cōmentariorū a Cardinali mirum in modū de auditu physico, de quibus eum existimo ad te scripturū. Postremo de promeritis meis curā precibus reliqui Deo Max. & præpotenti, De dignitate non modo aliquid non expecto, uerum ēt ne cogito quidem, attamen amabiliter speras, & de tua spe, tuoq; in me propenso animo, deq; beneuolis literis tuis ualde mediusfidius te amo. Vale. M D XXXV. Duodecimo. Kalen. Quintileis.

Lucill.

LAZARVS BONAMICVS

LVCILLO PHILALTHAEO Physico Excellentiss. Græce, latineque doctiss.

*

CONSTITVERAM animo nihil ad te scribere ante de Philoponi, quos cupis commentarijs, quam ex alijs cognouisses summã negotij. Cum uero Cardinalem summi Pontificis literis ad urbem accitum intellexi, atque moneri, ut magnis itineribus contendat, existimaui meas partes esse de hoc te primum facere certiorem, & deinde non plus polliceri tibi de negotio illo, quam cum Romæ cogniturus es diligenter, quo sane responso accepto facile in animum induxi meum, Contarenum te cupere Romam, Itaque nec Patauij, nec Bononiæ te propediem sumus habituri, An te amisero, si aberis tanto interuallo? Putarem id fore, si Lethæo ad urbem transires, tametsi non longe a montibus te illis Apenini absuturum præuideo, in quibus latitant laruæ, & manes (ut tradunt) ad hominum prædam, Caue ne te aliquo rapiant,

piant, ubi literarum, & Musarum, ac nostrum immemor fias. quamquam ex eo te spero cautiorem, quod aliâs Romam profectus es. Nunquid serio iocari possimus? In uno non iocabor tecum, obliuisci te mei, qui semper ero memor tui. Non grauabor ad te mittere literas, & crebro. Nam in urbe te fore spero, ad quam multi confluunt mortales. Non deerunt fideles uel nuncij, uel tabellarij, quibus dedero ad te literas de rebus meis. nuncque te instituo procuratorem meum. hoc meo mandato, quo possis non posthac solum negotijs meis interesse, sed etiam preesse, quæ sane sunt mihi magna, & ampla cum amicis, inter quæ mando tibi, si me amas, quod non dubito, primum cum ueteribus amicis ut stipuleris quæ promisero, Deinde crebro eosdem inuisas, & meis uerbis salutem illis dicas, Vtrunque mihi feceris gratissimum, & eo gratius, quo crebrius. Quod item me proprijs laudibus ornare conaris, & si in his omni ex parte ingenij tui specimen se ostendit, tamen non debeo hac de re gratias tibi, quoniam cognoscis tu multo plura, quæ ipse non agnosco, Vereor ob id, ne errori tuo gratias agam, cum minime conueniat. En (mi Lucilli) tibi imponis, si mea laudare, & admirari audes. Quicquid sum, nec mei est. Corpus enim telluri alumnæ, & animum ætheri debeo. Hæc scripsi memor cuiusdam epistolæ tuæ cum doctissimæ, tum

officio-

offitiosissimæ, in qua te geris ieiune scribens de re maxima propter iniqua tempora, quæ probitatem, & doctrinam homini eruditissimo inuident. Sed me non celabis unquam ingenij tui excellentiam ad omnia prope. De me non est cur æque, aut plus sentias. Non me præterit qui sim, & quid possim, cum tamen commonefeceris me, ut non solum præsentium utilitate, sed etiam posteritatis memoriæ consulerem, quod etiam cohortantur me facere alij & hi amicorum optimi. Nam placet cohortatio mirum in modum, nisi imbecillitas ingenij cum hoc impedimento, & onere publice profitendi coniuncta me dehortaretur, aut plane a lucubrationibus deterreret. Sæpe enim periculum feci, an in commentationibus possem simul, & in meo magistratu uersari digne, & diligenter? Compertum ob id habeo non sufficere tenuitatem ingenij mei, Qua de causa cum datur a publico negotio mihi aliquid ocij, totum id libenter consumo in habenda posteritatis ratione intra bibliothecæ meæ parietes, ubi nihil audio, nihil ago, nihil tracto, nisi me oblectem optimarum, & maximarum rerum studijs, ac si dici ingenue uolo, sic toto animo sæpe uersor in his uigilijs attente, ut nihil aliud sentiam, quam me ibidem esse. Et tu nosti ecstasim Socraticam in Phedone Platonis, hac et me maior occupat, quoties monumentis literarijs ad futuram memoriam inuigilo, Verum quæ cœpi plerunq;

runq; non absoluti operis tempus exercen di magistratus intermitti cogit, meq; abducit aliô. Quo quidem fit, ut uni Lucillo amico explanētur omnia, ut nihil adhuc habeā confecti, aut absoluti, & quicquid habeam noui casus, qui quotannis mihi oboriuntur, aut ēt accidūt quasi omnino cæpta perire urgeant. Certo quidem fato mutor, sed fortuna instabili quo ducar nescio. Sciuero quo tempore primo conquiescam. De qua requiete ex meis literis cognosces. Postremo de Philopono tibi conciliando qua in parte defecit a tua reliqui instituti manu cum nostro Contareno Cardinali, & Bembo coram, ac Polo Cardinali Britānico egi studiosissime. Et hi erunt testes sermonis de te honorifici. tametsi non eges apud illum hominum ullo, qui te illi commendet. Magnum de te ex illo audiui tibi forte incredibile uerbum, & istiusmodi. posse de te sibi uno polliceri quantum de multis Europæ, cui me dixi facile subscripturum. Vale. Bembus te salutat, & de Polo amplisś. quamprimum expectat encomium. Vale. M D X X X V. Quarto idus Augusti. Venetijs.

LVCILL.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicineq; Doctor.

NICOLAO RODVLPHO Cardinali doctiss.

PHILOPONO Græco commentationum Aristotelis Phisicarum, quas auscultatorias uocant interpreti propediem in lucem latine primum prodituro opto bene, feliciterq; euenire, atq; illi patronum occursurum, cuius nomine frons inscripta operis illi honori, & ornamento esse possit. Itaque diu est, quod de tua persona cogito, quæ rei literariæ primarijs probatur, & a me iudicata est ad hoc munus obeundum aptissima, Non sum ausus tamen ad te de meo iudicio scribere sine Contareni, & Bembi consilio, quos affirmarim me plurimum diligere, nec ante in lucem edi permittere in tuo nomine, quin tibi uideretur. Has ea de causa ad te exaraui literas, & curaui fidelissimo nuncio ad tuas perferri manus, & si animo inciderit suspicio te facile recusaturum id ponderis, cui quidam uidetur coniunctus ambitus, Ne perambitiose id recepisse uideare, ne forte rursus legem de ambitu in te animauer-

inauertere posse putes te utraque molestia in primis censui liberandum, Etenim uirtus si quid uitij admittit, in ipsa mediocritate mehercle admitteret. Sin autem plane uirtus consisteret in extremo, & procul omnino a uitio abesset, cum porro sapientes de morali philosophia omnem collocent uirtutem in medio statu, nullam profecto a uitio penitus eximũt. Quid si quædam in hoc onere inesset ambitio, dummodo studiosis profutura esset magnopere? Ac ingenue fatendum non fuisse a mortalibus ullum opus institutum, aut etiam perfectum, quos ad omne non traxerit uel ambitio, uel spes emolumenti, Verum pexexigua laus est, & pertenue famæ monimentum inscribi commentariorum principio nomen optimi principis, uel uiri de inscriptione optime meriti, sed tamen quanta est, omnis debetur, quod nec te fugit aut principi, aut uere literato, & huic præcipue, qui de ipso labore, deq; editione iudicium afferre queat. Qua decausa decreui tuæ personæ amplissimæ id muneris. Nam domus tua aluit, atq; nutrit uiros eruditos in omni prope genere doctrinæ, Dum porro alumna est doctissimorum hominum, & tu alumnus doctrinæ mihi uideris, atq; prædicatione insigni multorum de tuis studijs perspectus es, et cognitus de tua dignitate meritissimus, ac de redditibus, quos quotannis tibi pendit opimum sacerdotium, propterea ꝙ magna pars impensis tuendæ familiæ bene eruditæ,

&

& retinendis doctoribus, quos domi habes constituta est, Id præclarum inditium, quod si amplius posses, rem literariam te aucturum beneficijs, & stipendijs sane ad usum mortalium, Vetus enim, & uulgata est de priscis beatis, Dijsque historia, qui inter astra propterea relati fuerunt, quod rebus nouis, opibus, artibus, doctrinis præsentes, & posteros mortales iuuarunt, quos imitari principes deberent, huncque in modum promereri aram laudum, delubra cultus, monimenta rerum præclare gestarum sempiterna. Quo circa cupiditate pene incendor uidendæ diei, quæ te nobis in celsissimo gradu declaret, quem censeo tibi deberi, & merito, quod etiam pluribus docerem, nisi ad te scriberem, ob id silebo nunc hæc plura, & ad Philoponum reuertar, quem latine scribentem, aut etiam si Dijs placebit, dicentem legere, & audire posthac poteris, modo tua doctrina, non tuo nummo, nec dono faueas lucubrationibus meis, quippe cum forte sint nonnulli eius ingenij, ut putent tuæ dignitati, & amplitudini hæc monumenta laborum dicanda, quibus queam de arca tua aliquid exigere, Ego nec opibus tuis, nec tuæ amplitudini, sed plane, & ingenue tuæ doctrinæ mãdo, & trado labores qualescunque meos, nec tuum nummum, tuum munus, sed te excellentissimum uirum, & uirtutum tuarum ergô illustrissimum studeo mihi efficere beneuolum, & mei amantissimum,

Pluris

Pluris ſemper feci animi bona quam fortunæ, atq; ſi horôſcopo credendum, & mediæ domui duodecim, quas aſtronomi diuinando conſcribunt ſemper ſum facturus, Iccirco quia in manibus habeo commentarios Alexandri Aphrodiſæi in Topica Ariſtotelis de ſedibus, ſeu locis argumentorum, in libros de ludo ſophiſtarrm, & Simplicij cum auſcultatorios, tum chategorias, & alios de cælo quotidie cogito quibus pro dignitate hominum nominibus inſcribi, & illuſtrari poſſint, ne uidear potius me uelle fortunæ, quã doctrinæ aut illi, qui uim habeat iudicandi, ne probe inſtituerim, & abſoluerim opus qualecunq; gratificari, quod niſi me amor negocij ſuſcepti fallat ſpero frugiferum, & utile fore Gymnaſiis præcipuæ philoſophorum, quorum in ſcientia egregie eruditus es, propterea quod græcos authores græce legis, unde ſenſum Ariſtotelis cognitione facile eſt conſequi, ꝙ plebei philoſophi, & barbari forte non dabunt luſcitioſi, & noctuarum inſtar, quippe cum lucem intueri nequeant aſſueti barbariæ, & tenebris offuſi. de quibus alias nunc gaudeo tuam excellentem ingenij uim, tuum aliôqui grauiſſimum iudicium, & conſilium probare græcos interpretes Ariſtotelis, hos que præferre cæteris, cuius iuditij accipe doctiſſime, ampliſſime, humaniſſime Rodulphe præmium pro mea nunc parte tibi debitum, & in præſentia tenue, ſed in poſterum maius cogito, interea a te peto huius laboris

   boris

boris mei emolumentum, ut quod cæpisti omni officio, & benefitio doctos uiros prosequi, id facere semper pergas, ac Philoponum tuum modo latinum defendas, tueare contra inuide latrantium morsus, qui solent nomini presertim officere scriptorum, dum nesciunt itidem conficere, nec suscipere tantum oneris ad commodum rei literariæ. Cæterum cæpi conuertere græca latine, ut alij id quoque negotij suscipiant, & assuescant hominum studijs prodesse, atque experiri quantum laboris subeundum sit in hac administranda prouincia, in qua nisi sit optime eruditus, & bene græce doctus nihil perfecerit. Vtrunque desiderat huius negotij momentum, quod quidem nosti, & de quo nihil amptius, ne de meipso uidear encomium indicare. Vnum præ ceteris apud tuæ amplitudinis memoriam extare uelim, mihi addicto, & deditissimo mandare si quid libet. Hoc supra quam dici possit, gratissimum erit. Vale. M D XXXV. Bononia.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicineq; Doctor.

REGINALDO POLO Cardin. doctiss.

HAVD scio, ne id tibi fuerit gratum, qui au sim principi doctissimo, & nobilissimo meas literas mittere, & sine argumento scribendi, & sine aliqua, quæ sit mihi cum tua persona consue tudo, uel saltem inita necessitudo, præsertim cũ mea fama apud te in obscuro sit, iccirco existimo has meas literas ad te aliquid admirationis allaturas, plusque forte audaciæ, quam fiduciæ indicaturas. Puduit ob id diu antequam animo constituerim ad te præstan-tissimum in dicendo, & scribendo ornatissime, & ele gantissime scribere uerum hic meus pudor parum po tuit, quem de corde omnem fere abstersit uel exhor-tatio, uel authoritas amicorum apud me magni ponderis, cum Petrus Bembus, qui principem lo-cum in amicitia obtinet Venetias profectus Conta-reno gratulatum de noua honoris accessione nu-per me adhortatus sit, ut ad te auderem non-nihil scribere non de facie a me cognitum, sed

de fama mihi perspectum maxime . Nam meis lectis literis coram tua persona , Contareno, Bembo , Lazaro Bonamico , Nigro rescripsit te auere,cupereq; consuetudinem meam,eiusmodi saltem, cuiusquidem modi solet inter absentes intercedere, qua tua cupiditate nihil sane potuit accidere , & gratius,& optatius mihi, quippe qui ardeo pene desiderio quendã habere eorum illustrium delectum, qui uel in uirtute, uel in doctrina hodie summi sint , et habeantur . Verum uide humaniss. princeps,quæ uirtus sit uirtutis,& quid illa sola perbeata felix,& augusta semper possit,dum eius eras nimirum animi ego meditabar quotidie incensus desiderio quemadmodũ me haberes in numero tuorum, & ego possem te facere certiorem de mea erga egregias uirtutes tuas obseruantia, quas publicæ prædicationis auspicijs de tuis laudibus admirari,& suspicere cæpi,Ecce in manibus nostris occasio est , cum hæ literæ sint interpretes , & nuncij tanq̃ animi mei erga te propensi,quibus quidem feci plenam potestatem,ut meo primum nomine tuas manus exoscularentur , utinã & pedes, ꝙ spero etiam fore,nisi fortuna Italiæ tibi sit impedimento, deinde salutarent, & tuæ incredibili humanitati, comitatiq; cor offerrent meum, & uoluntatem perpetuo mandatis tuis paratam ostenderent,nec non tuam uel gratitudinem, uel gratiam a me pluris fieri, quam cuiusuis ubique mortalium ,

nec posse diem feliciorem mihi illucescere, quam quo audiuero a præclarissimo Principe, amplissi. Card. uitæ sanctitate morum probitate, omni uirtute, omni prope doctrina, & summa eloquentia ornatissimo diligi. Tum enim non me nactum putabo, ut comædia Aristophanis Chremylus Plutonem qui ditet. Sed qui uirtutum exemplis beet, Est enim uitæ tuæ sanctitas in tanta celebritate famæ, inque tam fuso per orbem Christianæ ditionis sermone, ut ad summã laudem, & honorem nihil possit accedere. Gaudeo porro tuæ doctrinæ tantam existimationem, uulgatamq; opinionem coniunctam esse, Nam permulti sunt Cardinales, sed cuncti cardines non uelut mundi, quibus summa rerum confidat, & summa uertantur negotia. Nosti dudum uniuersi molem, & machinam cardinibus contineri, & centri firmitate conuerti perpetuo, in te firma sanctissimaque fides illa Christi egregia nitet, in te charitas singularis ardet, in te prudentia, consilium, & deniq; consensus diuinarum, & heroicarum uirtutum elucet, quibus gratis se affore Deus optimus promisit, præsertim cum e regia stirpe profectus uni Regi Britanniæ, qui cæpisset a Religione Christi deficere, & ab institutis abhorere catholicæ fidei nouis rebus studens, & nouus in ea insula author tanti periculi, & immensæ perfidiæ non solum non assentiri, uerum obsistere etiam cum primatibus aliquot ausus sis, qua de pietate au-

thor Religionis Christus te mirifice amat, & Respu. Christiana plurimum se debere tibi fatetur, & ego, qui minimus non possum non admirari constantiam & fidem, quippe qui audiuerim etiam si opportuisset te sanguinem profusurum potius, quam Regia impietas posset ab institutis ecclesiæ animum auellere tuũ, Quibus sane de rebus, & meritis diuinus certe Pontifex te legendum in ordinem Cardinaliũ proposuit, & obtinuit, Adscitus es merito, & cooptatus, qui honori esses tanto collegio, Nec defuisti spei, & opinioni, quod authoritate, doctrina semper magno fuisti adiumento, ut etiam te fore sperant, de quo uiderint, ego uero nescio interim uerba legere, quæ cũ dignitate possint tibi meo nomine gratias agere, siquidem comiter admodum optasti me tuę benignitati deuincire, Addat ergo tua singularis comitas, & sufficiat sua in meorum locum, & meæ imbecillitati ignoscat, sed minime parcat quæso, nisi tua ornamenta, teque asylum bonorum posthac amauero, & mirandum in modum coluero. Vale, & Deus præpotens tua uota fortunet. M D XXXV.

LVCILL. PHILALTH, artium Medicineq; Doctor.

LVDOVICO BVCAE FERRAE Philosopho præstantissimo professori publ.

ETSI plane perspicio non necesse esse Bellouacensem mihi magna studiorum necessitudine coniunctum tibi meis literis commendare cum de homine græce, latineq; doctissimo,& in studijs nostris assidue uersato multa coram tibi dixerim, tamen quia nunc absens,quamuis huc propediem rediturus sum, & quia non desunt qui tibi alios commendant, bene animo mecum reputaui factum, si hunc presentem tibi item collaudauissem,quem absentem laudaueram Fama huius Gymnasii e Patauino huc se contulit, quo uenisse non solum uisendi illius causa,aut perspiciendi mores hominum,instituta,consuetudines,uerum ēt lustrandi in ipso docendi genere primarios, interquos fama apud illū est te esse præcipue unū, & decus huius ætatis philosophorū præsertim in Italia, Quapropter si te inuiserit, quæso tibi fuisse eius aduentum optatissimum ostendas.

Hunc propter excellentem Græcæ, Latinæque linguæ doctrinam Patauij exteræ nationes admirabantur, eiusque uerbo, & testimonio stabant, quod si feceris breui fore confido, ut Bononiam confluant plerique Germaniæ Belgicæque Gallicæ iuuenes. Itaque pro tua parte Gymnasium auditoribus augebis non sine tui laude, & fama, Dabis tu item mihi ueniam, si de horum ingenio, & natura fecero te instructiorem, Gens eius generis ferox, prona suspicionibus, mobilis, blanda, atque blanditijs obnoxia. Ioannes Bellouacensis genere in primis nobilis, deinde a puero literis suetus politioribus in Italiam uenit cupiens uernaculam linguam pernoscere, & latina uti elegantiore, necnon degustare Italicam Sapientiam, quam ille mihi fassus est sibi uideri permagnam, nec eius similem se in cæteris nationibus adhuc inuenisse, quod quidem bene interpretor, & bonam in partem accipio, quippe cum eiusmodi homo esse uideatur, qui nesciat amicum fallere, nec perfrictam frontem præseferre. Cor ori respondet, & facies nulli imponit, ne nunc de eius modestia, facilitate, comitate ad te scribam, quibus sane uirtutibus semper fuit amicis charus, & professoribus publicis literarum gratissimus, Hæc tibi significare uolui, ut cum tua dexteritate hominem ad te uenientem recipias, atq; alacriter, & polliceare te suis commodis nunquã defuturum Cæterũ audaciæ

meæ

meæ ignoſcas uelim, qui auſim forte mihi plus de tua benignitate polliceri, quam decuiſſet. Sed fiducia fecit amoris erga me tui, & perpetuæ meæ erga te obſeruantiæ, ut tuum requirerem officium abſens, ſi interea amicus meus huc ſe recepiſſet, Cæteroquin preſens illum ſuſcipiam amiciſſime, & præſtituta die te inuiſemus domi tuæ, ut luſtret ille ſuppellectilem librorum tuorum, & conſpiciat bibliothecam cum illa fortunæ pictura, quam ex Galeno accepiſti ſubtiliter. Interim opera amici me abſentem ſolicitum facit huius curæ, ne Bellouacenſis iuopinato neminem offendat, cui ſuus aduentus non uideatur gratiſſimus. Verum ſpero me propediem affore. Non cunctabor, Perfecto negocio reuertar mature, & celeriter, Tantiſper dum abſum Vale, ac quamprimum te uidero, ſemper. M D X X X I I. Pridie Idus Nouembr.

LVCILLVS

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicinęq; Doctor.

IOANNI HISPANO MEDICO Excell. professori publico.

NON possum & uoluntati tuæ, & honori deesse. Nulla unq̃ ut scis, prehensatio, nulla blanda promissio me ab orbita doctrinæ tuæ flectere, & si solicitum efficere potuit. Dedi operã uni Bellouacensi ad nos propediem uenturo, ut socios secum Bononiam ducat. Confido fore horum ingeniũ quale nec urbana, nec extera adulatio possit corrumpere. Spero enim ipsum, cui reliqui assentiuntur pro ea, quæ mihi cum illo peruetus est societas, & amicitia singularis omnia facturum, quæ ad ea, quæ uolumus conficienda pertinebunt. Tu uero aduena, tametsi pluribus Bononiæ ciuibus charus ob tuã eximiam doctrinam, & salutarem artem habes qui a tua audientia iuuenes abduccunt immerito. Hos Bellouacensis icto fœdere sodales nemo fallere poterit. Vale. M D X X X I I.

LVCILL. PHILALTH. Artium, Medicinęq; Doctor.

PAVLO TERTIO SVMMO, ET SAPIENTISS. PONTIFICI.

*

PENDEBAM *animi his proxime ſuperioribus diebus ab illa fauſta, & felici Contareni Veneti in Cardinalium Collegium cooptatione. (Pater Paule Sanctiſs.) mihi ne homini nullius nominis, aut nullius apud tuam Maieſtatem, quæ apud illam Dei præpotentis prope accedit in terris exiſtimationis licuiſſet officio fungi per literas quoad abſens fuiſſem, quo ſane omnis officina bonorum, omnis uirtutum Academia, omnis literaria profeſſio fungeretur, & ingenteis gratias prudentiæ, conſilio, ſapientiæ tuæ referret hoc nimirum nomine, quia bonorum, & literatiſſimorum hominum rationem habes luculentam, & tuis uirtutibus dignam.*

Verum

Verum quoad erat animus anceps me uehementer hortabatur ad officium præbita nuper occasio euidēs & illustris laudandi iudicij tui, & extollendæ magnitudinis consiliorum tuorum, quam cæpi admirari etiam quo primo tempore post secundum aduentum Clementis quōdam VII noui doctrinam tuam Boniæ, dum quæstionum quandam disputationem respōdens obiectis sustinerem, quibus tum Cardinalis amplis s. interfuisti, & præfuisti cum insigni fauore, & patrocinio suscepti oneris, de quo tuam personam, comitatem, benignitatem incredibilem amaui, atque amabo perpetuo, Iccirco cum essem adhuc Bononiæ iam febribus liberatus, & autumnus mihi quartanā uel reliquisset, uel creauisset, optatissimo nuncio audito, qui nunciauit te lectum in locum demortui, atque omni suffragio, omniq; consensu Cardinalium creatū Pontificem, continuo item quartana leuatus fui. Tanta me lætitia affecit ille nuncius, ut breui omnē de animo delerit mæstitiam. Itaq; Deo optimo max. hoc acceptum referendum existimaui, qui aliquando nobis, eccclesiæ suæ, ac fidei nunquam perituræ, consultum, & prouisum constituit fore. Eô enim creuit fluctuum tempestas, eô uentum heresum, insidiarūq; Italicæ Maiestati, populoq; Romano, Pontificum sacro, & augusto collegio, ut exteræ nationes æque pōtificium imperium, ut alterum aliô tranferre conentur, Et si quando naufragij nauiculæ Petri in medijs

procellis

procellis reflante borea merces, atque bona in discri men, aut summum periculum adducta sunt, nunc ma xime, attamen cum clementissimum diuinæ prouidentiæ numen exalto clementiæ suæ domicilio prospiciens te, qui Cardinalem summo consilio, & incredibili dexteritate gerebas assumpsit, & præfecit summis gubernaculis, ne illum ipsum tanti imperij clauũ de tua manu hominum perfidia, quæ hodie præceps, & uasta & dolis, et astu extorquere posset, Equidem (Pater sancte, Pater uirtutum, & augustissime rei literariæ Mecœnas) crediderim consilio altissimi, atq; deorum in cœlo ante probatam, quam in terris tibi decretam hanc supremam dignitatem, quando il le quidem optime calluisset eum prefici in medijs fluctibus oportere, in quo summa essent omnia, quæ uix singula in cæteris Cardinalibus mediocriter inessent. Defuit ne tuę menti unquam ratio in consultando, aut consilium in deliberando, aut deliberatio in agendo, aut actio celeritati, uigilantiæ, solecitudini, curæ perpetuæ? Ratio deesse non poterat homini, qui à puero reliquam ætatem in optimis disciplinis cõsumpsisset, & intra parietes doctissimos aluisset, stipendijs continuisset, beneficijs auxisset. Nec consilium prudenti uiro, quem diuturnus usus in rebus præclare gerendis triuit, & prouidentia de summa rerum perpoliuit. Nec deliberatio illi, quem lubentissime, & attentę dicentem collegium omne Cardinalium

udi-

audiuisset, De actionibus, & officijs tuis, quæ sunt sæpe præclara animi inditia non scripsero amplius, quam quod quotidie a prima Pontificatus tui creatione in conspectu orbis terrarum est, in oculis ubiq; gentium hæret, Quam enim primum in tui locum suffecisti Alexandrum Farnesium, & Cardinalem legisti cum summa Collegij gratificatione, necnon sublecti essent alij ex tuo nobilissimo genere, animum ad cæteros apte creandos adiecisti, non qui opibus ualerent, sed qui studijs optimarum scientiarum, usuq; & consilio excellerent hos sperans fore qui consilium in aduersis essent laturi, optimum, & in prosperis honori, & ornamento futuri, De aduersis erat & ante tuum Pontificatum importuna efflagitatio non concilij, sed tumultus. Vt concilio tantopere, & cum quadam iam quærela principum expetito, & si hæc res sit immensi operis satis ipse facias, arma parasti, atque armatos, necnon lectissimos uiros, qui his motibus prouidere scirent, & hereticis obsisterent, quibus nil antiquius, quam humana diuinis permiscere, & cum aliquot quo tempore primo tua sanctitas renunciata fuit statim designarit, hos etiam affecit honoribus data protinus occasione. Nuper de Contareno cogitauit (ut opinor) diuinitus & cum summa laude cogitationis, & prudentiæ suæ. Est reuera in ciue, & Senatore Veneto doctrina, industria, diligentia, consiliũ; usus,

&

& de re Germanica ampla notitia, quibus fretus, & Dei quoque gratiæ confisus ad propulsandos hostium fidei impetus plurimum ualebit, Itaque hoc creato Cardinali nomen iudicij perfecti, uirtutis, sapientiæ sanctitatis quæ tanta nunc apud omnes in opinione est, sicq; spes concilij futuri confirmata, ut numine tuo potius relatus ille in numerum pontificum, quam hominum consilijs uideatur, in quo gradu nemo est, qui eum non existimet, & expectet magnopere superaturum operibus suis, & gestis spem, opinionem, predicationem de ipso breui, & interim nullus est consensus bonorum, nullum doctorum collegium, nulla tenuis etiam Academia, nullum celebre Gymnasium, nulla politiorum, & bonarum literarum professio, quæ non tuæ diuinæ bonitati, tuæ sapientiæ magnas, & meritas pro homine literatiss. gratias agat, & accipiat, & interpretur, tãq̃ suã hãc dignitatẽ. Ego uero, qui iã in præcordijs conceptã, et inclusã flãmã letitiæ, atq; obseruãtiæ meæ erga pro merita illius sẽtio, nõ potui cõtinere has literas q̃ primũ me exosculãdis sãctitatis tuæ pedibus aduolutũ offerrẽt, et deĩde nõ illi, sed cũcto terrarũ orbi de sũmo principe creato, uniuersæ fidei, de sũmo protecto re, Pop. Rom. de suo nobiliss. ciue ad supremã dignitatẽ assũpto, oĩbus literarũ collegijs, & profess. de doctiss. uiro Max. Põt. renũciato, singulis bonis de hoĩne euecto ad eũ locũ põtatis, ubi coli iusticiã iubere poterit oĩno cõgratularẽtur, atq; collaudarẽt sanctũ, et

ſolenne conſilium eius de eorum præſtantiſſimorum hominum delectu, qui ad inchoandum, & abſoluendum concilium ſtrenui Chriſti milites eſſent, & qui lucernas ardentes plenas amoris, charitatis, ac ſpiritus ſancti, & faces lucentes morum ſuorum uitæ probitatis, integritatis in manibus præſeferre poſſent, de quo nullæ unquam hiſtoriæ conticebunt, nulli annales non loquentur, nulla hominum poſthac memoria ſilebit, Et quando id fore præſentio quantum queo ex toto corde, ex omni mente mea ſupplex obſecro, quinimo obteſtor te tanquam Deum in terris, cum præpotentis uicem plane geras, ut pergas amore proſequi reliquos ſummæ doctrinæ, & præſtantiſſimæ probitatis, quorum collegio, tanquam corona redimitus ut ſol inter aſtra fulgeas, & illuſtres ſic Dei Eccleſiam, & nobilites Farneſiorum familiam diuinitus, ut uitæ tuæ, & geſtorum memoria per manus tradita nunquam deleatur. Vale & diu tuam ſanctitatem Deus Optim. Max. fellciſſime ſeruet, & optata fortunet.

M D X X X V.

LVCILL. PHILALTH. artium, Medicineq; Doctor.

ROMVLO AMASAEO DOCTISS.

LITERAS meas Summo Pontifici datas perualde lætor. tua uero industria, et opera tempestiue, maxime gaudeo. Ita spes, & fiducia mea in tua prudentia erat, quamquam incertum est, num tuæ humanitati, comitati, amori erga me tuo, aut doctrinæ, ingenio, consilio hoc officium debeam, cum æque certent animi tui uirtutes ad conferēdum mortalibus beneficiū. Non dubitabā pro ea, quæ cū Farnesijs nobilissimis et amplissimis est tibi familiaritas, et pro illorū propēsa erga bonarū, et politiorū literarū studiosos uolūtate, quinimo pro incredibili sūmi Pōtificis uoluptate, quā in legēdis epistolis capere mirabiliter solet et ille (ut nosti dudū) in his habitus doctior, quin tandē in eius peruenissent manus, Verū ad tēpus puenisse hoc magnū fuit, et totū tuæ diligentiæ tribuendū. Equidē nihil est homini uere possidēti aptior titulus, & propria magis possessio, q̄ illa tēporis. Hoc noster animus edit, hoc numerat, hoc distinguit. Nam suspende animi operationem intelligentis nullum tempus, ne momentum quidem erit. Cæleste quippe cursum omnium breuissimū, quē Philosophia, Astronomia, Geographia diurnum appellaret mens

nostra nobis data diuinitus spatijs certis horarum emetitur, quæ et cōdidit lustra, olimpiades, annua interualla, & menstrua. Itaq; usum fructum temporis accipere, & præsertim cum instat occasio summæ prudentiæ est, Differre autē aut metuentis, aut inertis, ignauique uidetur, qui nesciat irreuocabile tēpus esse, & quam sit occasio calua, aut ipsi desidiæ præceps, quibus de rebus cum philosophi nobiles, hiq; primarij Plato. Aristot. Plotinus, Iamblicus, Proclus, Philoxenus, Porphirius, tum magni Theologi Eusebius de tēporibus, Augustinus de ciuitate Dei, ut nunc taceam alios subtiliter disputant, ego reuertar ad Romulum Amasæum uere amabilem, amicorum omnium quos habeo, habuiq;, & habiturus sum facile principem, & in hac mea reuersione iuratus polliceor huius officij tui me nunquā obliturū, o gratum, o iocundū amico obsequium. Et me beasti, quod literas apte beatissimo Paulo tertio reddidisti, et tanto beatior euasi, quanto de me consecuta sunt uerba honorificentius. Sed non utar longioribus uerbis, cū epistola tua me plurimum, & breuiter oblectarit. Significasti amorem in me tuum grauiter uerbis, ostē disti quanti me facis eleganter, & facto confirmasti omnem tuam in me beneuolentiam diuinitus, de quo quoad uixero humanitati tuæ debebo omnia, Me iccirco ames obsecro, quo nihil mihi optabilius Vale. M D X X X V. Nonis Septemb.

LVCILL.

LVCILL. PHILALTH. artium Medicinęq; Doctor.

BENEDICTO VICTORIO Physico Doctissi.

SINGVLARIS tua, & peruetus erga bonarum artium, & optimarum scientiarum studiosos beneuolentia, egregiaque, & clara doctrina tua facit, ut Bellouacensem iuuenem alioqui literatissimum, quo patauij usus sum domestice, atq; diligenter, si te inuiserit, maxime tibi commendem, atq; ut commendationi sit locus non uulgaris, etiam atq; etiam oro, ut de te illi multum polliceare. credo te illum inuisurum, si non abero, ero ego una cum illo, Vereor tamen, ne quoad ipse absens, ille ad lares Bononienses ueniat, et neminem offendat, qui illum benigne, & hilari uultu, complexuque recipiat. Huic persuasi cuncta Bononiæ iuxta uocis, & ueri ethymologiam bona, ut præclare cum suis de urbe preclarissima, de ciuibus, de Gymnasio bene sentiat, & ad nos accedat. Reliquum libros de demonstratione Galeni desidero, sed metuo ne frustra me teneat tanti operis desiderium. Vale. M D X X X I I. pridie Idus Nouemb.

Deo Optimo Laus   F I N I S.

Ego Frater Dominicus Pusterla Inquisitor Papiæ Vidi & Subscripsi.

ERRATA SIC EMENDANTVR

Errata,	Correctiones.	Pagina		Versus.
diunis	diuinis	1	b	21
quimgenta	quingenta	3	a	3
uerbium	urbĩum	3	b	6
occalĩut	occaluit	4	b	16
pontretur	poneretur	6	a	7
demeat	demeet	7	b	16
gratifico.	gratificor	9	b	4
notesq;	noctesq;	10	a	3
ſumo	ſummo	10	b	23
meum	mecum	11	a	17
exhilarare	exhilarari	12	b	20
excebit	exercebit	12	b	26
uberimis	uberimos	14	b	24
tuas doctas aures.	tuis doctis auribus	15	a	13
peruincia	prouincia	18	a	13
quaquam	quamquam	20	a	7
ineſcaueri	ineſcauerim	22	a	1
audeas	audeam	22	a	1
aiut.	aiunt	23	b	9
plauuno	plautino	23	b	16
quem	cui	25	a	25
inuuiarum	iniuriarum	25	b	2

Cærario,	ærario,	27	a	11
Colume	columen	28	a	7
recitare	recitaret.	28	a	12
accesserum	accesurum	28	a	26
coijcio	coniicio	29	a	7
studis	studijs,	29	a	9
onni	omni	30	b	14
doleum	dolium	32	b	6
ne	me	33	a	4
habiturus	habituras	33	a	27
istuc,	illuc,	34	b	3
seuerè,	securè	34	b	16
homini	hominis	36	b	4
digedi,	digredi	38	b	27
ancellit	antecellit	39	a	25
soles	soles consumere	40	b	10
nec inconsultò	inconsultô	40	b	14
salutatnm,	salutandum	41	a	27
fundo,	fando	41	b	9
reuiseas,	reuisas	42	a	15
coniuctio	coniunctio	44	b	17
inquam	unquam	45	a	4
supnetet	suppetet	47	a	7
nostri	nosti	49	b	16
Epicydis	Epicyclis	49	b	20
indagure	indagare	50	a	20
nictu	uictu	52	a	9

constituti	*constitui*	52	*a*	27
ne	*me*	54	*a*	1
exercent	*exercet*	55	*b*	10
professioribus,	*professoribus*	56	*b*	4
aliquæ	*aliquo*	57	*b*	5
adhorere	*abhorere*	58	*a*	4
ob equijs	*obsequijs*	58	*a*	24
e	*est*	59	*b*	1
diligendĩ	*delegendi*	59	*b*	7
musa	*musas,*	61	*b*	10
culicis,	*pulicis*	62	*a*	21
imire	*inire*	62	*b*	1
proprius	*propius*	63	*b*	6
ue;	*te*	65	*b*	18
æquè.	*atq;*	65	*b*	21
salus	*salue*	66	*b*	1
tecum alloqui,	*te alloqui*	68	*b*	16
defege	*defige*	70	*b*	22
alunnos	*alumnos*	68	*b*	5
abesse	*abest*	70	*a*	13
eruditi,	*erudiri*	73	*a*	15
intellei	*intellexi*	76	*b*	3
auspicandam,	*auspicandum*	77	*b*	4
decuit	*docuit*	79	*b*	6
Emitere,	*Enitere*	80	*b*	26
te	*es*	81	*a*	9
sint.	*sine*	81	*b*	24

ſaloniensè,	ſalonicenſem	84 a	6
quedum	quædam	86 a	8
iures	uires	87 b	6
diſcedebari,	diſcedebam	89 a	15
de hate	de hac re	94 b	9
eiuſmodi	cuiuſmodi	94 b	10
ſi uires	ſi uir es	98 a	19
cæpiſſe	cæpiſſet	101 a	16
probis	probris	107 b	5

